BCU - Lausanne
1094944070

£1607

ΗΣΥΧΙΟΥ
ΛΕΞΙΚΟΝ.

HESYCHII
LEXICON.

DUOBUS VOLUMINIBUS.

TOMUS I.



IOANNES ALBERTI, Asla Drentinus,
Natus VI. Mart. CIↃIↃCXCVIII.
THEOLOG. DOCT. et PROFESSOR ORD.
in ACAD. LUGD. BAT.
Inaugur. V. Octobris. CIↃIↃCCXL.

F. Decker pinx. 1742. Excudit Samuel Luchtmans. J. Houbraken sculp.

ΗΣΥΧΙΟΥ ΛΕΞΙΚΟΝ.

HESYCHII LEXICON,

CUM

NOTIS DOCTORUM VIRORUM INTEGRIS,

Vel EDITIS Antehac,

Nunc AUCTIS & EMENDATIS,

HADR. JUNII, HENR. STEPHANI, JOS. SCALIGERI, CLAUD. SALMASII, JAC. PALMERII, FRANC. GUYETI, GODEFR. SOPINGII, JO. FUNGERI, JO. COCCEJI, JO. FRED. GRONOVII, JO. CASP. SUICERI, TANAQ. FABRI, CORN. SCHREVELII, ED. BERNARDI, ETC.

Vel INEDITIS

HENR. VALESII, DAN. HEINSII, PHIL. JAC. MAUSSACI, THOM. BRUNONIS, ISAACI VOSSII, JO. VITI PERGERI, THOM. MUNKERI, MARC. MEIBOMII, JO. VERWEJI, ETC.

IN PRIMIS

LUDOLPHI KUSTERI, TIBER. HEMSTERHUSII, JO. CHRISTIAN. BIEL, ETC.

PRAETER SELECTAS

JO. JENSII, DAN. WILH. TRILLERI, GEORG. D'ARNAUD, FRID. LUD. ABRESCH, ETC.

Ex Autographis partim recenſuit, partim nunc primum edidit, ſuasque Animadverſiones perpetuas adjecit

JOANNES ALBERTI,

THEOL. DOCT. ET PROF. ORD. IN ACADEMIA LUGDUNO BATAVA.

CUM EJUSDEM PROLEGOMENIS, ET APPARATU HESYCHIANO.

TOMUS PRIMUS.

LUGDUNI BATAVORUM,

APUD SAMUELEM LUCHTMANS, ET FILIUM,

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS, MDCCXLVI.

ILLUSTRISSIMIS GENEROSISSIMISQUE

VIRIS,

ACADEMIAE BATAVAE,

QUAE LEIDAE EST,

CURATORIBUS,

GUILIELMO COMITI BENTINCK,

RHOONAE ET PENDRECHTAE DOMINO, EQUESTRIS HOLLANDIAE ORDINIS, UT ET CONSESSUS ORDINUM GENERALIUM MEMBRO, AGGERIBUS ET VIIS RHENOLANDIAE CURANDIS SEPTEM VIRO, ETC. ETC. ETC.

JOANNI VAN DE POLL, J. C.

CIVITATIS AMSTELAEDAMENSIS CONSULARI VIRO, ETC. ETC.

PAULO SEBASTIANO LE LEU DE WILHEM, J. C.

DOMINO BESOYAE, CIVITATIS ROTERODAMENSIS SENATORI ET CONSULARI VIRO, AGGERUM SCHIELANDIAE PRAEFECTO SUMMO ET PRAETORI, ETC. ETC.

EORUMQUE COLLEGIS.

AMPLISSIMIS GRAVISSIMISQUE

VIRIS,

CIVITATIS LEIDENSIS

CONSULIBUS,

JOANNI VAN DEN BERGH, J. C.

NONUM ET DECIMUM CONSULI, CONSULARISQUE COLLEGII CUM MAXIME PRAESIDI, RHENOLANDIAE PRAETORI SUMMO, AGGERUMQUE IBIDEM ET VIARUM PUBLICARUM PRAEFECTO, ETC. ETC.

ABRAHAMO HOGENHOUCK, J. C.

COLLEGII AGGERIBUS ET VIIS RHENOLANDIAE CURANDIS ADSESSORI, ACADEMIAE QUAESTORI, ETC. ETC.

JOANNI VAN DER MARCK, J. C.

ABRAHAMO ALENSOON.

NEC NON

SPECTATISSIMO CONSULTISSIMOQUE

VIRO,

DAVIDI VAN ROYEN, J. C.

CIVITATI LEIDENSI A SECRETIS, I-TEMQUE ILLUSTRI CURATORUM ET CONSULUM COLLEGIO AB ACTIS.

D. D. D.

JOANNES ALBERTI.

NO.

DEDICATIO.

NOBILISSIMI PROCERES.

HESYCHIUM, veterum Grammaticorum principem, ante ducentos & triginta demum annos e tenebris in lucem Venetiis protractum, VOBIS obfero, VIRI PERILLUSTRES, mea cura pro virili expolitum atque emendatum. Quum enim jam inde ab initio Seculi ſuperioris Eruditorum voces & vota maxime fuerint, ut pulcerrimi corporis artus, miſere luxati, divulſi, & Chironiis ulceribus adfectae corruptaeque partes, Medicam opem, dudum imploratam, experirentur aliquando, & quantum pote in integrum reſtituerentur; idque a Summis etiam Viris plus ſimplici vice promiſſum, immo ſuſceptum eſſet; ipſe quoque tanto operi manum ſalutarem admovere conatus ſum, periculum facturus, num forte rem literariam hac parte juvare quodam modo & ornare poſſem. Mirati ſane plurimi ſunt, homini Grammatico, ad infima ſubſellia paſſim (nefas!) detruſo, tantam tamque pertinacem aliquot annorum operam navare voluiſſe Theologum, cui prima illa ſtudiorum elementa, literales ſcilicet! minutias, de more levius adtigiſſe, & ceu canis e Nilo deguſtaſſe utique ſuffecerit, ut res ipſas po-

tius, & ſublimiores literas, ſevera lege perſequatur. Hi homines quid dicant non intelligo, neque ipſos intelligere ſum perſuaſiſſimus. Quandoquidem enim praecipua Theologi doctrina continetur vera Sacri Codicis intelligentia, ex quo, tanquam perenni limpidoque fonte, omnes Divinioris diſciplinae rivulos derivare unice oportet; neque certus tamen ad hunc fontem aditus patet, ſi a Grammaticorum ſemita diſcedas, (quam inſtitiſſe etiam ſaepius videri volunt iidem vitio creati cenſores, ſi quando eruditionem oſtentare aliquam cupiunt, Doctis eadem opera ſe ludos facturi;) quo colore indignum Theologis opus dici queat, Grammaticorum curis inhaerere, non adſequor. His itaque ſuo genio relinquendis hominibus bonam precamur mentem, & ne contractiores ditionis ſuae terminos egredi velint, etiam ſerio rogamus. Ego certe, MAECENATES OPTIMI, qui artiſſimum & fecundum *Theologiae & Critices connubium*, a principibus ſemper Theologis agnitum, in aditiali ad Academiam Veſtram Sermone quondam publice celebravi, dum a contentionibus & tricis, ſi quis alius, alieniſſimus in pacificum illud manſuetiorum Muſarum mare cymbulam jam olim, non ſine animi voluptate, & fructu ſingulari, direxeram, in hoc praeſertim theſauro Heſychiano excutiendo plura didici, atque in reconditiora ſaepius penetralia, tum Sacra, tum profana, deductum me ſenſi, quam unquam aliunde forſan cognoſcendi, nedum penetrandi, copia mihi data fuiſſet. Inprudentius a me factum majori quis jure dixerit,

quod

quod nimiae molis opus, idque non unius hominis, neque unius Seculi (quae Doctiorum ſententia eſt) adgredi auſus fuerim, ad quod praeſtandum uberior ingenii copia, multiplici eruditione munita, & largius otium requirantur; mihi vero non niſi ſubceſivae horae, inter arduî muneris negotia quotidiana & interpellationes frequentiores, huic labori dandae reſtent. His quid obponam, non habeo. Sed jacta dudum alea fuit, neque pedem referre integrum, aut honeſtum: & dum ſua quemque voluptas trahit, tenuitatis conſcientiam neſcio quis impetus & fervor animi conſopire non nunquam ſolet, ut ſupra vires etiam ſeſe exſerere conetur. Undique interea conquiſitis Doctiſſimorum hominum lucubrationibus inopiam meam ſublevare conatus ſum; &, quum in magnis etiam voluiſſe ſat eſt, a candidis rerum aeſtimatoribus veniam pro laude petens, ſi non raro

Avia Pieridum peragrans loca, nullius ante
Trita ſolo,

aberraverim, diligentem bonas juvandi literas voluntatem poſteris ſaltem, quorum judicium rectum & benignum eſſe ſolet, me probaturum confido. Quod potui, praeſtiti; & ſcabris plurimis ſalebroſiſque locis complanatis (praefiſcine dixerim?) aliquantulum etiam harum rerum ſtudioſis profui, ut emendatior, & majori cum utilitate, nunc teri queat optimus Grammaticus; aliis, qui in hoc ſtadio poſtea decurrent, non ſpicilegium, ſed meſſem quoque haud ignobilem relicturus.

Quid-

DEDICATIO.

Quidquid autem hujus operae ſit, id omne VOBIS dicandum cenſui, MUSEGETAE EXCELLENTISSIMI, quibus otii mei reddendam aliquam rationem putabam, utpote Veſter plane, Veſtriſque Nominibus non uno nomine obſtrictiſſimus. Et quum Principibus olim, immo Auguſtis etiam Viris, non curae tantum maximae, ſed & ſacri fuerint praeſtantiorum Grammaticorum labores, haud alia Nomina, quam Veſtra, Grammaticorum principis fronti convenire videbantur.

Ceterum non ego is ſum, cujus VOS praeconiis indigeatis. Veſtra Virtus in ſublimi poſita ſibi ſatis magnificum eſt theatrum, atque omne orationis lenocinium longiſſime reſpuit. Qua par eſt itaque obſervantia Veſtrae me benevolentiae, meoſque labores, commendo, DEUM OPT. MAX. ſupplex veneratus, ut VOBIS, VESTRISQUE omnibus, & curis Veſtris, hac praeſertim difficili temporum conditione, propitius adſit, praeſit perpetuus, uti Rem Publicam & Literariam, quod ſtrenue agitis, fovere diu, & ſuſtentare feliciter pergatis!

Dabam Leidae, Kal. Octobr.
CIↃIↃCCXLV.

SU-

LECTORI BENEVOLO

S. D. P.

JOANNES ALBERTI.

Tandem poſt aliquot annorum moram, quam variae rerum mearum tum publicae tum privatae viciſſitudines, aliaque paſſim non enumeranda negotia, vel invito ſaepe adtulerant, prodire geſtit HESYCHIUS; *cujus* priorem Tomum *praemittere viſum eſt, ut multorum efflagitationibus & deſideriis ſatis faceremus, & Eruditorum hominum judiciis interea adjuti,* poſteriorem *alacrius urgeamus, totique operi colophonem ita feliciter,* DEO *volente, inponamus.*

Ante quam vero propius accedas, Lector, non nulla praemonenda omnino eſſe ſentio, ut Gloſſarii Heſychiani, & univerſi noſtri inſtituti ratio pateat. Adeoque ordine dicam

I. *De* Auctore *hujus Lexici, ejuſque aetate.*
II. *De variis ejus* Editionibus.
III. *Speciatim de ultima* Editione Schreveliana.
IV. *De* Editionibus promiſſis, *&* latentibus *Doctorum* Notis.
V. *De hac noſtra* Editione, *& variis ad eam* Adminiculis. *Ubi tum de* Schrevelii, *tum de* Verweji *copiis, & quibus mihi praeterea uti licuerit, per partes agam; poſtremo loco* modum & rationem hujus Editionis *expoſiturus.*

Denique Praefationem noſtram tum priorum Editionum Praefationes & *Dedicationes excipient, tum alia multa, magnam partem* inedita, *quae ad Heſychianum adparatum pertinere videbantur.*

CAPUT I.

De Auctore hujus Lexici, ejuſque aetate.

§. I.

Quum varii olim fuerint Heſychii *nomine clari, non defuturos fore exiſtimo, qui adcuratam de omnibus illis homonymis diſquiſitionem a me exſpectent. Neque diffiteor id mihi conſilii aliquando propemodum ſtetiſſe. Propius tamen conſideranti, parum inde aut nihil lucis ad Lexicographum noſtrum redundaturum, aliter viſum eſt; in primis quod hac opera ſuperſedere commode liceret, poſt exhibitum eorum catalogum a Celeb. J. A. Fabricio* Bibl. Gr. Vol. VI. *p.* 243.—247. *quem poſt Praefationem hanc repetendum curavi, una cum Ejuſdem Viri diligentiſſimi recenſione Gloſſarii Heſychiani, ex eadem* Bibl. Gr. Vol. IV. *depromta. Et ne quid omiſiſſe videar, quod harum rerum curioſis hac parte ſatis facere queat, addidi Cl.* Juſti Chriſtiani Thorſchmidii *doctam rariſſimeque obviam* Commentationem de Heſychio

Mileſio Chriſtiano, *A.* 1716. *Witembergae editam in* 4°. *cui longam* Heſychiorum *ſeriem praemiſit Auctor. Interim Grammatico noſtro* Alexandrino *cum* Mileſio *illo (de quo Suidae teſtimonium omnes Heſychii Editiones exhibent) nihil commune eſſe, dudum ſatis evicerunt Viri Docti, interque eos* Sopingius, *cujus eſt praecipua pars Praefationis Schrevelianae, ut deinde patebit: quamvis dubius haereat Erudit. Guil. Cave in* Hiſtor. Liter. Script. Eccleſ. *p.* 336. *Conf. Bonav. Vulcan. ad Callimach.* H. in Jov. *vſ.* 3. *ubi utrumque Heſychium aperte confundit.*

§. II. *Quiſnam autem, vel qualis fuerit* Heſychius *noſter, cujus praeſtantiſſimum Lexicon ante Sec. XVI. non innotuit, idque ex unico tantum MS. quo uſus eſt Aldus, a nemine hactenus dici potuit. Quaecunque etiam de ipſius aetate vel conditione diſputata ſunt a variis, incerto admodum videntur niti fundamento. Quod enim alibi dicat* ἡμῶν, παρ' ἡμῖν, *&c. (in v.* Ἐργάνδα, Ἐργάται, *&c.) nihil definit, & in Gloſſatore quodam ita potuit inveniſſe, ut omnia undique collegit. Solus* Pergerus *tam perſpicax fuit indagator, ut ipſum* matris Heſychii *nomen,* Euboea, *detexerit nobis ad v.* Εὐβοΐνης, *pro* τῆς Τυχὼ μαῖρες, *ſuaviter reponens* Ἡσυχίῳ. *Vide locum. Et quum ſoli hactenus Erajmo* Chil. III. Cent. VI. Adag. 58. *probabile viſum eſſet, Heſychium aeque ac Suidam fuiſſe* Monachum, *indicavit Pergerus ad v.* Ἔνκομον, Mariolatram *ipſum fuiſſe. Confer ejuſdem conjecturam, paullo tamen prudentiorem, ad v.* Ἀρεπάνοι. *Videtur interim, non alium Lexici auctorem quam* Heſychium, *quiſquis demum ille fuerit, eſſe ſtatuendum. Quod enim* Herodiano *illud tribuendum ſuſpicatus ſuerit Hadr. Junius* Cent. VII. Adag. 45. *quia ſcil. Euſtath. ad Hom.* Il. N. *p.* 962. *vſ.* 15. Ed. Rom. *ex Herodiano eandem vocis* Βυθάερος *interpretationem adfert, quam Heſychius; nihili eſt: fons enim Heſychii tantum inde patet, qui antiquos Enarratores & Grammaticos ubique ſequitur, interque eos* Herodianum *diſerte laudat ipſe in* Praefatione *ad Eulogium; quam adi.*

§. III. *Duo praecipue quaeruntur;* an Chriſtianus *fuerit Heſychius? &* quo tempore vixerit? *Quamdam etiam adfinitatem habent ea quaeſita: de quibus rectius ſtatui poſſet, ſi a vetuſtis vel aequalibus Scriptoribus laudatus alibi fuiſſet, vel ſi non aeque eſſet obſcurum* Eulogii *nomen, cui opus ſuum inſcripſit Heſychius, quem juxta cum D. Lucae* Theophilo *cognitum habemus. Quanto commodius* Onomaſticum *ſuum Pollux* Commodo Caeſari *nuncupavit! Non omnia adferam quae de his dici poſſent, & ultro citroque inter Doctos agitata ſunt, ne moleſtus ſim. Pauca tamen.*

§. IV. (I.) Chriſtianum *fuiſſe Heſychium noſtrum, adfirmant plurimi, eſtque pervulgata hodie opinio. Praeivit fere Magnus If. Caſaubonus* Anim. *in Athen. I.* 9. *p.* 31. Doctiſſimum illum Grammaticum ſcimus (*ait*) fuiſſe Chriſtianum, contra quam ſit quibuſdam viſum. *&c. Denſum Criticorum agmen in eandem ſententiam conceſſit. Vide, praeter* Scaligerana *in v.* Raca, *P. J. Mauſſac. ad Heſych. v.* Ἀποπίσασθαι, *&* Diſſ. Crit. ad Harpocr. *p.* 385. *G. J. Voſſ.* de Philol. *p.* 37. 39. *J. Pricaei* Praefat. *ante* Indic. Script. *laudatorum ab Heſych. Soping. in* Praef. *Edit. Schrev. F. Guyet. ad Heſ. v.* Ἀπφώς. *J. M. Brioſ.* Epiſt. *p.* 231. *Iſaac. Habert.* Ἀρχιερατικ. *p.* 12. *Sam. Reyher.* Diſſ. *in* Theſ. Th. Phil. *T. II. p.* 243. *b. G. Cave* Hiſt. Lit. *p.* 336. *J. A. Fabric.* Diſſ. de Numer. Septuag. §. 16. Not. & Exerc. de Lexic. Graecis, §. 8. *in primis* Bibl. Gr. Vol. IV. §. 4. 5. *ne alios addam* ἐμολόφως *plures.*

Rationes adſerunt Viri Docti non contemnendas, & ad primam ſpeciem ſatis probabiles, quarum potiſſimas complectitur Schreveliana Praefatio, *eum qua* Caſaubonus & Fabricius ll. cc. *conferantur. Neque diffiteor eo me aliquando etiam maxime propendiſſe. Saepius tamen omnibus expenſis, addubitare coepi de Heſychio* Chriſtiano. *Quod enim plurima in hoc Lexico paſſim obcur-*

currant non Novi *tantum*, *ſed &* Veteris Foederis, *ex* Graecis *ejus* Interpretibus *deſumta*, *ſive* vocabula, *ſive* propria Locorum *&* Hominum, *ut* Prophetarum, Apoſtolorum *&c.* nomina, *item* Librorum *quorumdam Sacrorum*, & integrae ex iis allatae ῥήσεις (*ut in principio Lit.* Ω.) *ne de* Patrum *Graecorum*, *Cyrilli*, *Epiphanii* (*in v.* Μιᾶ, *&* Τάλαντον, *quod Pricaeum fugerat*) *&c. quin &* Antichriſti *mentione dicam*, *validiſſimum eſſet*, *ſi ab Heſychii manu profecta ea eſſe conſtaret. Sed inter Eruditos nemo ignorat*, *quot pannos alienos*, *purpurae Heſychianae adſutos*, *hodie circumferat*; *quam mutilus ab altera parte*, *& quaſi in compendium redactus* (*ut plures in utroque ſermone libri antiqui*, *maxime Lexicographi*) *ad nos pervenerit Gloſſator. Ipſi illi Viri Docti*, *qui Chriſtianum omnino fuiſſe Heſychium cenſent*, *aperte fatentur*, a poſteriore manu non pauca illi acceſſiſſe, qualia ſunt Diodori Tarſenſis, Cyrilli, Ambroſii & Epiphanii mentio, item barbara quaedam, & alia, quae manifeſto poſteriorem aetatem innuunt. *Verba ſunt Cel. Fabricii l. c. mox addentis*, *tam male habitum eſſe Heſychii Lexicon*, *ut in Heſychii Lexico quaſi lateat. Idem V. Cl. ſimili ratione* Vol. III. Bibl. Gr. *p.* 46. *de Stephano Byzant. diſputans recte monet:* Hermolaus nonnulla adjecerat paſſim operi, quod in Epitomen contraxit. Unde puto etiam minus tuto nos poſſe cum Holſtenio &c. affirmare, quod Stephanus religione Chriſtianus fuerit, etſi in v. Βηθλεὲμ legimus verba Chriſtiani procul dubio ſcriptoris. Ecquis vero nos docebit, haec Stephani eſſe, non Hermolai? *Eadem vero hic res eſt*, *ratio obtinet eadem. Conf. Cl. Kuſter.* Not. *ad v.* Ἐντομίδης. *Quodſi integrum quod terimus Gloſſarium ab Heſychio compoſitum eſſet*, *de* Chriſtiano *homine ne quidem dubitari*, *& ex laudatis teſtimoniis de* aetate *pariter ejus aliquid definiri propius poſſet. de qua ſtatim.*

Nunc ſecus ſe res habet; *ſic ut ex infinitis illis Gloſſis ſacris*, *paſſim a Viris Doctis obſervatis* (*vid. Pearſon.* Praef. *ad LXX. Heinſ.* Exerc. S. in N. T. *& in Nonni* Paraphr. *ſaepius*; *Fuller.* Miſc. S. IV. 20. *p. m.* 559. *J. Mill.* Proleg. ad N. T. §. 1040. *Pric. in Luc. XXIV.* 22. *Jacob. I.* 17. *P. Keuchen. ſub fin.* Praefat. *& ad Matth. IV.* 15. *& cui non dictus Hylas?*) *nihil tuto colligi queat. Verba eorum in* Teſtimoniis *infra exhibebo.*

§. V. *AEque parum juvant Hebraicorum Nominum Interpretationes*; *ex quibus tamen* in linguis & ſcientiis Orientalium non mediocriter verſatum *Heſychium pronunciat Cl. Braunius* Select S. *p.* 412. *Conſtat enim*, *Judaeos Interpretes olim*, *Joſephum maxime & Philonem*, *Nomina Hebraica V. T. in Graecum ſermonem convertiſſe*, *deinde Origenem*, *Chriſtianum quippe Doctorem*, *Nomina N. T. huic Philonis operi addidiſſe*; *quorum Fragmenta*, *ex Codd. Reg. & Colbert. a Rev. Martianaeo in Edit. Hieronymi* Tom. II. *prolata*, *avide inter ſe & cum Heſychio contuli*, *adhibitis praeterea Anecdotis aliis*, *ſuo loco a me laudandis. Communis ille fons fuiſſe videtur Patrum Eccleſiaſticorum*, *qui certatim inde Nominum interpretationes*, *mirificas ut plurimum*, *bauſerunt*, *ad quas*, *tanquam fundamentum*, *paſſim in Allegoriis ſuis*, *aliunde non intelligendis*, *recurrebant*, *de hypotheſi Nominum ad rerum indolem ſignificandam ſemper inpoſitorum* (*quam multis tuetur Pontus Tyardaeus Biſſianus*, *Cabilonenſis Epiſcopus*, *in rarius obvio libello* de recta Nominum Impoſitione) *ſatis ſecuri. Nihil frequentius*, *ut plures mittam*, *apud Cyrillum Alexandrinum*, *Euſebium*, *Chryſoſtomum*, *Procopium*, *Baſilium M.*, *Hieronymum praeſertim*, *Auguſtinum*, *alios ſequioris deinde aetatis*, *quam mediam vocant. Huc pertinet a Procopio* in Libros Regum *p.* 222. *&* 318. (Ed. Meurſ.) *laudata* Ἑρμηνεία τῶν Ἑβραϊκῶν Ὀνομάτων, *Origeni adſcripta a Juſtino* (*quiſquis ille fuerit*) Quaeſt. & Reſp. ad Orthodox. 82. *&* 86. *cujuſmodi hodiedum in variis Lexicis MSS. a me adhibitis adparet*: *nam* τὰς Ὀνομασίας, *in v.* Ἀμφῶμες *&* Ἀμωμεῖς *citatas*, *alius generis* Vocabularia *deſignare putem. Ex eodem fonte manarunt quaecunque* (*iiſdem paſſim verbis*) *in Heſychiano Lexico reperiuntur*

Nominum (*quin & dictionum ſacrarum*) *Interpretationes*, *a Chriſtiano certe homine*, *quiſquis demum ille fuerit*, *ex Gloſſariis Eccleſiaſticis adjectae. Non enim ab ipſa Heſychii prima manu talia veniſſe*, *vel inde liquet*, *quod locis paſſim alienis ea ſint inſerta*, *prout nempe vacuo chartae ſpatio commodiſſime adſcribi poſſent ad marginem libri*, *unde poſtea ſenſim in ipſum Textum recepta ſunt*, *cum augmento etiam ſubinde variorum*, *ut fieri adſolet. Conf.* Not. *ad v.* Ἀφόρμος, *p.* 647.

§. VI. *Graviſſima accedit ratio*, *quam ipſius Heſychii* Prologus *confert. Quanta vulnera ſit paſſus*, *ſatis inde colligitur*, *quod nuſquam ea compareant*, *quorum magnificam fecit promiſſionem in ſplendida illa* ad Eulogium ſuum Epiſtola, *ut ſunt Proverbiorum Argumenta*, *&c. Sed quod nunc ſpecto*, *rationem operis ſui reddit ibi adcuratiſſimam*; *Auctores ſuos*, *Apionem*, *Apollonium*, *Theonem*, *Didymum*, *Ariſtarchum*, *Diogenianum*, *Heliodorum*, *Herodianum*, *quos ſequutus eſt Grammaticos*, *laudat*; *quin & voces Homericas*, *Comicas*, *Tragicas*, *aliaſque apud Lyricos*, *Rhetores*, (*ut praeter cetera etiam adcuratiſſime alterum e Lexicis illis Rhetoricis*, *quibus uſus fuit ad Homerum Euſtathius*, *deſcripſiſſe Heſychium*, *expertus mihi ſignificavit Cl. Valkenarius*) *Medicos*, *Hiſtoricos*, *obvias ſe congeſſiſſe teſtatur*, *ſic ut nihil omiſerit eorum*, *quae apud alios invenerat*, *omiſſa contra plurima ceteris adjecerit ipſe. Quaeſo*, *Lector*, *num probabile ſit*, *quum cuncta tam exacte moneat de inſtituto ſuo*, *ne verbum quidem additurum ipſum fuiſſe de Gloſſis Sacris*, *quarum numerus eſt infinitus*; *nihil de tot vocum Hebraicarum interpretamentis*; *de Divinis literis nihil*; *nihil de Eccleſiaſticis Patribus & Dictionariis*, *ex quibus plurima ad verbum deſcripta ſunt*; *nihil denique*, *quod hominem Chriſtianum vel leviter redoleat. Lege*, *ſis*, *ipſum illum* Prologum, *& cogita.*

Atque haec dudum eſt quod in Miſcell. Obſervat. Vol. IV. Tom. II. p. 263. *& deinde in* Praefat. ad Gloſſar. N. T. *dederim: a quo tempore Reverend. Brunſvicenſium Theologus* J. C. Biel *me monuit*, *ſimilia olim cogitaſſe Magnum* Rich. Bentlejum, *cujus literas mecum benevole communicavit*, Praefationibus *infra ſubjiciendas*, *ubi de* Gloſſis Sacris in Heſychio ſpuriis & inſititiis *plura leges. Tanti enim Viri conſenſum merito mihi gratulor: miror tamen*, *quod ſuperius ex* Praefatione *Heſychiana petitam rationem praeterierit.*

§. VII. *Neque magni eſt momenti ratio*, *quam in* Praefat. Schreveliana *admovit* Sopingius, *quod ſuam ad Eulogium Epiſtolam claudat* formula illa Chriſtiano digniſſima: Εὔχομαι δὲ τῷ Θεῷ σωζόμενόν σε *&c. Non dicam*, *facillime Chriſtianum aliquem id pro* τοῖς θεοῖς *ſupponere potuiſſe: ne videar* τῇ ὑπαθέσει δυκεύων. *Verum ipſe optime noverat Sopingius*, *veterum Scriptorum diligentiſſimus*, *nihil frequentius in Ethnicorum libris etiam occurrere*, *quam ſingulare nomen* θεῦ, *apud Poëtas*, *Philoſophos*, *Hiſtoricos*, *Rhetores. Quod addit*, *nomen* Eulogii, *cui inſcripſit hunc librum*, Chriſtianiſmum magis ſapere, quam Gentiliſmum; *accedere* (*fateor*) *poſſet firmioribus argumentis*; *per ſe minus eſt validum. Eadem enim nomina paſſim*, *tam Gentilibus*, *quam Chriſtianis*, *data fuiſſe ecquis ignoret? Hoc de* Stephano Byzantino, *& Gentili*, *& Chriſtiano*, *deque aliis notum. Quid etiam vetet*, Eulogium *dici hominem Ethnicum*, *ut* Eulalius, *multaque ſimilia? Interim diffiteri nolim*, *ſi conſtaret Chriſtianum fuiſſe Heſychium noſtrum Alexandrinum*, *me* Eulogium *quoque iſtum non alibi quam Alexandriae quaeſiturum*, *atque adeo cogitaturum de* Eulogio Alexandrino Epiſcopo, *qui Sec. VI. floruit*, *variis olim ſcriptis nobilis*, *quorum deperditorum memoriam non uno loco Photius conſervavit*, *amplioribus eorumdem Excerptis in* Bibliotheca *ſua relictis*, Cod. CLXXXII. CCVIII. CCXXV. CCXXVI. CCXXVII. CCXXX. CCLXXX. *Hunc enim a prima aetate ſodalem ſibi adſciviſſe poſſet*, *quo familiariſſime ſemper uſus*, *in* Praefatione, *nullo honoris titulo adjecto*, τῷ ἑταίρῳ *tantum*, *&* πάντων ἐμοὶ φιλτάτῳ Εὐλόγιε, *ſcripſerit*, *quum ad iſtum dignitatis gradum forte nondum eſcenderit quo tem-*

tempore ſcripſit haec Heſychius, nihil ſimile commemorans. Verum enim vero lubrica haec omnia eſſe, neque niſi conjecturae cujuſdam fundamento inniti, quiſque percipit. Quin immo vel inde maxima occaſio nata fuiſſet aliquid Chriſtianum redolens inſerendi, quum ſtrenuus Catholicae fidei vindex contra Haereticos fuerit hic Eulogius.

Quum itaque nihil certi nobis hac parte conſtet, liberum cuique potius relinquo judicium, fueritne Chriſtianus *Heſychius, num* Ethnicus. *Si quis* Ethnicum Lexicographum *fuiſſe ſtatuat, cum Cl. Steph. le Moyne* Diſſert. *ad Jerem. XXIII.* 6. *p.* 54. *quonam revincatur argumento contrario, nondum vidi; quin & ſuperius allatis rationibus cauſſam tueri commode poterit.*

§. VIII. *AEque parum* (II.) *proficiemus in determinanda* aetate *Lexicographi, cujus maxime etiam deſunt characteres. Certo cognoſcimus, poſteriorem fuiſſe omnibus iis, quos in* Praefatione *ſequutum ſe docet. Cetera non liquet. Quare nec de ſingulis Doctorum ſententiis dicere plura attinet. Ita* Tho. Hyde, *Vir egregius,* Hiſtor. Talor. *p.* 156. *vel ex Polluce, qui Sec. II. ſcripſit, Heſychium, aut verſa vice ex Heſychio Pollucem hauſiſſe dubius tradit. Ex Stephano Byzantio Heſychium deſcripſiſſe quaedam non inprobabili conjectura Magnus* Grotius *ſtatuit ad* Geneſ. XXVI. 33. *monente etiam Cel.* Fabricio *in* Bibl. Gr. Vol. IV. *p.* 546. *qui Lexici hujus auctorem cenſet eundem fuiſſe Heſychium, cujus Editio Graeca V. T. Hieronymo* (adv. Ruffin. *L. II. p.* 425. *T. IV.* Ed. Martian.) *aliiſque celebratur, floruiſſe itaque Sec.* III. *quo tendere quoque videtur Cl. Wetſtenius, in* Prolegom. ad N. T. Gr. Edit. accurat. *p.* 68. *Interim non negat Vir optimus, a poſteriori manu non pauca illi deinde acceſſiſſe, quae recentiorem clamant aetatem. Hoc ut certiſſimum puto, ſic vel inde certo aliquid de Heſychii aetate nunquam definiri aut probari poſſe exiſtimo: ſi quis enim hanc illamve notam, tanquam γνώρισμα quodam, obſervaverit, dubium uſque remanet, num ab ipſa Heſychii manu tale quid ſcriptum fuerit; & nebulas continuo obfundunt tot interpolationes. Ob eandem rationem Cl.* Weſſelingio *noſtro ſubſcribere non auſim, qui Baſilio M. Grammaticum hunc eſſe recentiorem eleganti conjectura monuit* Probabil. *c. XXXII. p.* 293. *cum Baſilianis conlata Heſychiana Gloſſa poſtrema v.* Ὠρίων *quam opinionem deinde in* Miſcell. Obſerv. Vol. IV. *T. I. p.* 125.—131. *idem pluribus ornavit Vir Eruditiſſimus. Sed conſer quae ſeq.* Tom. *p.* 262. *repoſui, & aeque incertus diſcedes, quamdiu geminas ejuſmodi interpretationes ab ipſo Heſychio profectas eſſe non probaveris. Ne nunc addam, poſtremam illam Gloſſam v.* Ὠρίων (*quam cum praeced. v.* Ὡς, breviatorum ſceleſtas manus effugiſſe, *olim Summus* Valeſius *notavit ad Harpocrat.* in Not. Mauſſac. *p.* 113.) *monente ſerie alphabetica ſpuriam eſſe, neque a prima manu. Conf. R. Bentleji,* τοῦ πάνυ, Epiſtol. *inferius exhibendam. Eodem modo vacillat per ſe conjectura, quam olim in* Peric. Crit. *p.* 91. *ex vocabulo* Κῆϱυξ, *pro* aetate, *admoveram, hoc ſenſu in* Carthaginenſis Concilii Canonibus *ſaepius obvio; unde circa Sec. V. Heſychii hoc Lexicon compoſitum eſſe ſuſpicabar. Similes autem notas complures colligere in proclivi eſſet. Ita ex. gr. quod* Βυζάντιος reddatur Κωνσταντινοπολίτης, *poſt conditam demum a Conſtantino M. CPolin, adeoque non niſi medio fere Sec. IV. ſcribi potuit. Mitto alia.*

§. IX. *Nihil itaque reſtat, niſi ut incerta habeantur, quae de* Heſychio *ejuſque* aetate *proferuntur. Ex ipſo quidem* Lexico *nihil tuto colligas, ob ſaepius allegatas rationes. Quin & concedunt Viri Docti, non nullas auctoritates deinde irrepſiſſe, in primis quae ad Gloſſas Sacras pertinent, ut ſunt* Diodori Tarſenſis, Cyrilli, Ambroſii, & Epiphanii *nomina.* Diodorus *autem, an* Apollodorus Tarſenſis *laudetur in v.* Διαγόρας *dubium facit Ariſtophanis Enarrator.* Ambroſius *etiam num intelligendus ſit* Mediolanenſis, *dubio vacare non videtur. Tantum enim p.* 268. *dicitur in v.* Ἀμβρόσιος. - - - - καὶ ὄνομα κύριον. *adeoque & antiquior* Alexandrinus *ejuſdem nominis conſiderari queat. Si quis*

tamen Seculo IV. exeunte, vel paullo poſt, hoc Lexicon compoſitum putet, aliis ſenſum interpolatis, non videtur adeo abſurdum ſentire. Quidquid ſit (nam quid certi non ſtatuo) ex ſola ad Eulogium Epiſtola *decernendum eſſe videtur. Inde autem de* Chriſtianiſmo *(ut dixi) Heſychii nihil liquet, neque de* aetate *ejus. Tantum colligi poteſt, floruiſſe eum poſt Ariſtarchum, Apionem, Theonem, Didymum, Heliodorum, Herodianum, Diogenianum, & Apollonium, quorum opera laudat. Inferiorem quoque aetatem ſapit, praeter alia, quod ſub finem ſcribat:* ἀπέχεσθαι πρὸς τὴν σὴν ἀναμίλλητον φιλίαν *non tantum ob vocem* ἀναμίλλητον, *ſed ob integram quoque phraſin: ut in* Not. *ibi monui. Alia conſultus premo. Quod enim antiqui alicujus, nunc pro deperdito habiti, Lexicographi opus, ſublato veri Auctoris nomine, ſibi vindicaſſe Heſychium aliquem, atque inde* Heſychii Lexicon *ab antiquioribus Grammaticis nuſquam laudatum reperiri, aliquando ſuſpicabar, dictu durius videtur: etſi tam altum & diuturnum de* Heſychii Lexico, *per tot ſecula, ſilentium, Codicumque MStorum inopiam miramur.*

CAPUT II.

De variis Editionibus.

§. I.

Quum ignotum hactenus latuiſſet Heſychii Lexicon utiliſſimum, nemini antea Doctorum uſurpatum aut laudatum, primus illud ſauſta Lucina in dias luminis oras, ut plura veterum monumenta, protraxit optime de re literaria meritus Aldus Pius Manutius, *Venetiis (ut habet ſubſcriptio) in aedibus Aldi & Andreae ſoceri, menſe Auguſto A.* CIↃIↃXIV. *ſol. inſcriptum* Joanni Jacobo Bardellono, *quem* Nobilitatis Mantuanae decus *adpellat,* Graece & Latine doctiſſimum, Mathematicarumque diſciplinarum longe peritiſſimum. *Is enim ex inſtructiſſima Bibliotheca, optimorum librorum plena, Theſaurum hunc MStum, vitiis licet non paucis inquinatum, ad immortalem nominis ſui gloriam, ſponte & liberaliter ad Aldum miſerat, ut daretur inprimendus in uſum ſtudioſorum, etiam poſterorum, communem, cum* penes ſe tantum eſſe duceret, & vere fortaſſe (*inquit Aldus*) nemo enim eſt, quod ſciam, qui exſtare alium audiverit. *Ita prodiit Bardelloni auſpiciis, typis Aldi:* Marcus *autem* Muſurus., *Cretenſis, vir doctiſſimus, qui ad Etymologicum M. praefatus quoque eſt, cui &* Carmen admirandum in Platonem (*Editioni Aldinae, Leoni X. oblatae, praefixum, quo ab exſilio ad Epidaurenſem Archiepiſcopatum maxime evectus creditur auctor*) *aliaque debemus, Bardelloni & Aldi compater, opus hoc, quantum per occupationes licuit, diligenter recognovit, & plurima in eo loca emendavit, Aldo teſte. Innumeris tamen vitiis ſcatere hanc Editionem, nemo eſt qui ignoret, & ex Notis noſtris paſſim patebit. Sic Graeci libri plurimi, ab Aldo excuſi, in primis quod ad orthographiam. Latinos enim correctiores dedit.*

§. II. *Aldinam proxime excepit* Florentina *Editio, nunc rarius obvia, per heredes Philippi Juntae, A.* CIↃIↃXX. *ſol. quinto Idus Auguſti, Leone X. Pont. Max. quam curavit* Antonius Francinus Varchienſis, *& Petro-Franciſco Portinaro, Patricio Florentino, nuncupavit. Editio ſatis nitida eſt, rubris praeterea coloribus in initio Lexici ornata, & ad Aldinam fere expreſſa; quamvis non nunquam meliorem exhibeat lectionem; aliquando pejorem etiam, ut* π *pro* τ, π̄ *pro* τ̄, η *pro* υ, *&c. Maxime autem vitiata eſt in literis ac dipbthongis* α, η, ι, αι, υ, *paſſim inter ſe, ob pronunciationis ea aetate adfinitatem, confuſis: ut* ἄθεσμα, *pro* ἄθροισμα, *& pro* ται *in fine, &c. unde Graeculum aliquem correctorem ſoliis madentibus adhibitum exiſtimaverim.*

Hanc

Hanc Editionem pauci adhibuerunt, neque (ſi bene memini) Cl. Kuſterus ejus mentionem in Notis *ſuis unquam injecit.*

§. III. *Sequuta eſt anno ſequenti* CIↃIↃXXI. *menſe Decembri, nova Editio, pariter in fol.* Hagenoae, *in aedibus Thomae Anshelmi Badenſis, cui doctus vir praefuiſſe videtur; quamvis (ne de Aldi Praefatione omiſſa dicam) nihil hac de re ſit monitum. Eſt certe prioribus non parum adcuratior, multaque loca hic optime reſtituta adparent, ex Editoris ingenio, ut videtur; praeterquam quod in vitioſis lectionibus, quae ceteras occupant, emendatior paſſim deprehendatur. Id quod Viri Docti vulgo non animadverterunt, dum ſaepe correctiones adtulerunt, quae dudum hic legebantur. Eadem de ratione H. Stephanus in* Theſ. Gr. L. *ejuſque* Indice *haud raro aliam lectionem citat, quam ceterae habent, Hagenoënſem nempe exprimens, quam perpetuo verſavit. Conf. Cl. Fabric.* Bibl. Gr. Vol. IV. *p.* 553. *&* *Cl. Triller.* Emend. Heſych. *p.* 19. *Interim monendum, eandem Editionem aliquando occurrere, quaſi novam & diverſam, ſi Titulum ſpectes, qui in prioribus erat ſimplex:* ΗΣΥΧΙΟΥ ΛΕΞΙΚΟΝ. *HESYCHII DICTIONARIUM; hic autem prolixior adparet:* ΗΕΣΥΧΙΟΥ (*ſic*) ΛΕΞΙΚΟΝ. *HESYCHII DICTIONARIUM* locupletiſſ. ea fide ac diligentia excuſum, ut hoc uno, ad veterum Autorum fere omnium, ac Poëtarum in primis lectionem, juſti Commentarii vice, uti quivis poſſit, & plane nihil ſit, quod ad rectam interpretationem deſyderari hic queat. *Exemplar tale habuit olim* Mauſſacus, *de quo infra dicendum; habeo & ipſe: ſed ex characterum & lectionum (corruptarum etiam) convenientia, ubivis conſpicua, certo liquet, eandem eſſe Hagenoënſem Editionem, quam modo recenſui, niſi quod omiſſum ſit ultimum folium, in quo locus & annus ac menſis dies comparebant cum figura ſubjecta* Τ$^{\text{ο}}_{\text{ϡ}}$, *quae priores literas continent nominis* Thomae Anshelmi Badenſis; *forte, ut hac omiſſione, tituloque novo, fucum facerent emtoribus. Sic ultimum illud folium reſciſſum inpoſuit olim* Jano Vlitio, *cujus exemplum (infra memorandum) a Cl. Salom. Tillio inter* κειμήλια *ſua maximi habitum Ven. D. Bedberus, Amſtelaedamenſis Eccleſiae Myſta, deinde poſſedit, ex cujus Bibliotheca mihi illud non exiguo pretio comparavi, miratus ſimul ac inſpexiſſem, pro Aldina Editione a laudatis poſſeſſoribus habitam fuiſſe, quae vere Hagenoënſis erat, neque ſuſpicionem ipſi Vlitio moviſſe figuram ultimi folii, quae Titulo proxime adglutinata, inſcriptum* Jani Vlitii *nomen exhibet, ſubjectis verbis:* Venetiis apud Aldum 1514. *Immo praeterea adnotaverat:* Memini vidiſſe Andegavii apud Cl. Menardum alteram Heſychii hujus editionem, ſed nulla in parte, praeter titulum, ab hac diverſam, ita ut pagina paginae reſponderet: qualis omnino eſt quae in Biblioth. Leid. eſt, impreſſa Hagenoae 1521. nullatenus ab hac diverſa. Proinde miror (*ait*) τὸν πάνυ Salmaſium ad H. A. p. 392. citare; Κουρήτας, ὀρομικὸς πίδαξ, & emendare πίναξ, cum ita prorſus hic legatur. Nec minus diſcrepat in citando p. 393. c. 472. a. Idem fecit p. 416. a. *Ex his certiſſime patet error Vlitii, qui ab Hagenoënſi non vidit eſſe diverſam Editionem Aldinam, quam Salmaſius ob oculos habuit: nam* πίδαξ *ibi habetur; quod vitium Florentina pariter & Schreveliana retinuerunt, ſola correxit Hagenoënſis.*

§. IV. *Praeter illas tres Editiones non nulli quoque* Baſileënſem *laudant. Ita Cl. Gisbert. Voetius in* Biblioth. Studioſi Theolog. *L. II. c.* 4. *p.* 288. (Ed. 2. *A.* 1651.) *inter* Lexicos (*ut vocat*) *Linguae Graecae recenſet* Lexicon Heſychii, cujus (*ait*) nullam puto eſſe editionem, praeter Baſileënſem. *Graviſſimus ſine dubio error eſt; ut plura ejuſmodi paroramata in iſto libello obvia. Si enim exſtat talis Editio, non ſola exſtaret. Sed* Baſileënſem *qui viderit unquam vel audiverit, baſtenus inveni neminem. Adeoque neſcio, unde habeat Cl. Morhof.* Polyhiſt. Liter. *T. I. L. IV. c. VII.* §. 6. *p.* 797. (Ed. 2. *A.* 1714.) „ Aldi *Editionem ſecuta* Hagenoënſis *A.* 1521. *quae*

„ *communiſſima, &* NB. Baſileënſis apud Cratandrum. „ *Niſi dentur exemplaria forte, quibus Titulus ejuſmodi novus tantum praefixus eſt, ut ſaepius factum eſſe, & fieri quotidie, dolemus; quum Literariae inde Hiſtoriae confuſio naſci debeat, neque exigua adcuratioris perturbatio doctrinae. Vix tamen exſtare ejuſmodi putem exemplaria, quin aliunde in hac rei literariae luce propius innotuiſſent; & potuit Morhofius ex aliorum citatione vel narratione (ut ſaepius evenit) hoc tradidiſſe. Quin potius cum Cl. Fabricio (qui & olim in* Exercit. de Lexicis Graecis §. 8. *eam citaverat; deinde tamen in* Bibl. Gr. *T. IV. p.* 543. falſum fuiſſe Voetium *ſcripſit, quod* ſolam Editionem Baſileënſem exſtare *crediderit) exiſtimaverim*, plane chimaericam illam eſſe; & Voetio Hagenoënſem in animo fuiſſe mihi perſuadeo, *inquit Vir egregius, in* Addend. *p.* 618. *Atque ita dudum ſenſi, quum vulgo magis obvia ſit Hagenoënſis; vel (quod & in* Praefat. *ad* Gloſſar. N. T. *ſuſpicatus ſum)* Phavorini *Lexicon in mente eum habuiſſe, utpote cujus Editioni* Baſil. 1538. *in exemplari, quod penes me eſt, nomen ſuum adſcripſerat Cl. Voetius. Simili errore accidiſſe puto, ut* Phavorini Editionem Hanovienſem A. 1521. fol. *alicubi relatam narret Fabricius* Bibl. Gr. *T. X. p.* 72. *ubi* Heſychii *Editio* Hagenoënſis *etiam intelligenda mihi videtur. His interim diebus vidi Jo. Caſp. Suiceri* Specimen prius *Heſychianae ſuae Editionis, in quo Heſychii Editiones enumerantur Veneta, Florentina,* Baſileënſis, *& Hagenoënſis:* alias *(inquit)* nec vidi, nec an ſint, ſatis novi. *Neque tamen ſuperior ſententia mutanda videtur. Quum enim nulla* Anni *mentio fiat, credibile eſt, tale potius* Hagenoënſis *Editionis exemplum vidiſſe Suicerum, quale ſupra memoravi, cui* novus *ſcilicet* Titulus *praefixus; cujuſmodi & ex Morhofio protuli paullo ante. Atque inde, recuſo primo folio,* curſivis *etiam (ut vocant) literis in altero iſto exemplari meo repetitam video Aldi ad Bardellonum Praefationem, quam* Romanis *expreſſerat Hagenoënſis. Cetera in vitiis etiam typographicis conveniunt.*

§. V. *Accedimus tandem ad recentiorem optimi libri Editionem, qui poſt ſeſquiſeculum fere, quo indigne nimis jacuerat, etſi omnibus Eruditis peramatus Auctor, elegantiſſime typis deſcriptus prodiit* Lugduni Batavorum, ex officina Hackiana, *A.* CIↃIↃCLXVIII. *in* 4°. *adcurante* Cornelio Schrevelio, *Medicinae Doctore, & Gymnaſii Leidenſis Moderatore vigilantiſſimo, qui tamen in ipſo opere diem ultimum clauſerat,* XI. *Septembr.* CIↃIↃCLXIV. *Inſcriptum ab Hackiis opus eſt* Emerico Bigotio, *cujus potiſſimum hortatu adjumentorumque fiducia id conceptum & natum ſuiſſe praedicant. Quum autem Docti paſſim Heſychium emendare & illuſtrare conati ſint, ſive ad oram Codicum ſuorum, ſive in ſcriptis editis, primum quidem in hac Editione variae Doctorum Virorum Notae, vel editae antehac, vel ineditae, acceſſerunt, Junii nempe, Scaligeri, Salmaſii, Palmerii, F. Guyeti, Sopingii, Cocceji, J. F. Gronovii, Tan. Fabri (quos Titulus exhibet) & aliorum, ſingulis paginis ſubjectae. Subſidiorum & Notarum ratio quoque in* Praefatione *verbo redditur. In fine adparet Jo. Pricaei* Index Scriptorum *ab Heſychio laudatorum alphabeticus, qui ad calcem Notarum ejus in Apuleji* Aſinum aureum, *Goudae,* 1650. 8°. *prodierat; reſecta tamen Praefatiunctula, quam reddam. De hac Editione, luculenta ſane, & adjectis variorum emendationibus utiliſſima, quaeque praeterea tum ad uſum adcommodatior eſt, tum ceteras externo comtu & nitore vincit (quemadmodum plures libri a Schrevelio emiſſi praeſtantiorum, quibus uti feliciter ei contigit, Typographorum opera hac parte ſuperbiunt) paullo curatius non nulla nunc monebo.*

CAP.

CAPUT III.

De C. Schrevelii Editione.

§. I.

Quamvis externis elegantiae dotibus, aliisque commodis, sese commendet haec Editio, non exigui tamen & plurimi naevi eandem deturparunt, utpote in qua „ passim observare est, emendationes virorum doctorum nunc mutilas, „ nunc loco motas, jam plane contra Auctorum mentem adductas adserri, sae- „ pe observationes maximi momenti praetermitti; quod sere solemne est in E- „ ditionibus, quas speciosa inscriptione cum Notis Variorum adpellant: qua de „ re pridem, nec injuria, conquesti sunt viri eruditi. „ Verbis utor Cel. Fabricii Bibl. Gr. T. IV. p. 551. subjecto exemplo, quod est in v. Ἀάπτους, (ubi Ἄαπτος erat) p. 7. Edit. nostrae. Recte itaque Cl. Theod. Hasaeus in Bibl. Brem. T. VIII. p. 670. dixit, venustam magis esse, quam accuratam Editionem. Sed uberius hac de re nunc agendum; unde operae nostrae institutum & necessitas etiam patere queant. Vera equidem dicturus sum, mihique comperta: quamvis non nulla ejusmodi sint, ut Schrevelii famae reticendo parcere maluissem, nisi veritatis & publicae utilitatis ratio praeferenda videretur, ad errores studiosorum, qui ea Editione utuntur, minuendos vel praecavendos. Et quum post sota Schrevelii prodierit demum hoc opus, quaeque ipse ulterius sorson monuisset ignoremus (quamvis edita Praefatio ante mortem ab eo adornata videatur) dubitare aliquando coepi, an non crassiores isti errores adscribendi potius sint inperitioribus quibusdam (discipulis forte) quibus excerpendi varia, & solia madentia corrigendi molestiam, aliis rebus occupatus, secure nimis reliquerit; non ignarus tamen, quid ex Emerici Bigotii literis de Schrevelio prodidit in Praefat. ad Quinctilianum Cl. P. Burmannus. Dicam itaque de hac Editione, prout omnium oculis expositа habetur, ne quid inclementius a me dictum quis calumniabitur, in alieni nominis detrimentum: quod a meis moribus alienissimum esse norunt, qui me norunt.

§. II. Quod ad ipsum Contextum:

1. Expressa est Editio Hackiana (paucis locis exceptis) ad Aldinam, etiam in apertis ac turpissimis vitiis, quae jam correxerat Hagenoënsis Editor, & tamen hic repetita sunt. Exempla vide in v. Ἀδωρότατος. (ubi μητελιδὺς, pro μελ.) Ἀμαυλὶς. (ubi γένους, pro γένος.) Ἄμμε. (ubi ἡμᾶ, pro ἡμᾶς.) ἈφαδήΣας. (ubi φασάμος, pro φασάμενος.) &c. In v. Δάσκιος. (ubi σωίδδρος, pro σωίδενδρος.) Δασπλῆης. (ubi μαχάλων, pro μεγ.) Δεκφοθὲς. (ubi ἐπιμαθὲς, pro - - - μαθὲς.) &c. In v. Ἐπίπαξ. (ubi ἃ, pro ἢ.) Ἔρδει. (ubi πεφίτοι, pro πεφίτδι.) Εὐσέλαιον. (ubi σελήνη, pro - - - νην.) In v. Ζέα. (ubi Ἐκάτε, pro τη.) Ζηὶ Φ. ἰῤ. (ubi τρεῖ, pro τρεῖς, omisso sigma, ut sup. in v. Ἄμμε.) In v. Θυρσοπλῆγες. (ubi ὁ ὀοθαζόμενος, pro οἱ.) Mitto alia infinita. In Praefatione tamen ad Eulogium sub fin. ubi Ald. recte ἀναμίλλιον, admisit ἀναμίλικτον, ut vitiose exhibet Hagenoënsis.

2. Non contulit Schrevelius Editiones, quae aderant; ut de Hagenoënsi ex allatis abunde constat.

3. Interdum quaedam in ipso Hesychii contextu omissa sunt. Ex. gr. in v. Ἄελλα, omissum γάρ. in v. Ἀθάρης, deest ἐπὶ γυναικός. in v. Ἀθεμίζειν, deest ἀπαμίζειν. in v. Ἀμαυλὶς, omissa verba ἢ μήλω. in v. Ἀρωδὸς, omisso γάρ, intrusum τό. in v. Βρυχέως, omissum ἢ Βρυχέως, sive ἢ Βρυχ. ut vitiose repetitur, quae forte hic omissionis ratio. In v. Ἑρμιόνη, deest ὁν. In v. Κνάμπτῃ, deest κάμπτῃ. &c. &c.

4. Vitia quoque in ipsum Textum inrepserunt orthographica. Non loquor

 de

de vitiis, quae in Aldina reperiuntur, quamvis emendatu per ſe facillimis, immo typographicis ſaepe; ſed ubi Aldina etiam bene ſe habet. Ex. gr. ἔλεγον, *in v.* Δημοκλείδας (*p.* 244. *a.* Ed. Schrev.) *pro* ἔλεγον. *& in v.* Ἀειδὲς - - αἰσχρὸν, *pro* αἰσχρόν. *&c. Quamvis & hoc vel oculatiſſimo acciderit operarum incuria, quam & ipſe invitus aliquando paſſus ſum in hac nova Editione. Fraudi tamen tantillum vitii fuit* Iſ. Voſſio, *qui ceteris Editt. neglectis,* ἄχρις *repoſuit. In* Diſtinctionibus *praeterea non tantum, &* Spiritibus, *ſed & in* Accentibus *error admiſſus, praeeunte paſſim Aldina, verum aliquando etiam, ubi recte collocati erant in prioribus. Ex. gr.* Ἡρέμων, ἡσυχάζων, *pro* Ἡρεμῶν, *ut praeceſſerat* Ἡρεμεῖ, ἡσυχάζῃ, *ab* ἡρεμέω. *Sic in v.* Ἥσυχος, ἀπερεγμὼν *ſcribitur, pro* ἀπερέγμων, *ut Ald. &c. &c. Quin &*

5. Novam Gloſſam *intruſit Editor, ceteris Editionibus omnibus ignotam, quando poſt v.* Ἀγμιὼν, ἀκεσθὲν, *in Ed. Schrev. legitur:* Ἀγμιῶν. ἀκεσθέν. *quae forte alicujus ad marginem fuerat correctio. Saepius* particulas, *aut* voces *integras, inſeruit, quas priorum Editionum fide ejeci: ut in v.* Ἀκαδημία, καὶ *ante* γυμνάσιον. *Vid. ibi* Not. *Sic ad v.* Ἀκοντιὰς, *poſt* ὀφέων *additur,* Ἀκοντίαι, *ut vitioſe exaratum. Et in v.* Δερμηστὴς, *contra omnes Edd. & ſenſum,* ἕψεως *ante* ὄφιν *ſcriptum. quo inepto additamento, ex ſeq. Articulo, ut videtur, intruſo, Textum liberavi.*

6. Compendia ſcribendi, *ſive antiquiores literarum notas, aliquando non intellexiſſe videtur: unde* ἐπὶ *pro* ἀπὸ *dedit in v.* Βλήρ· *conf. in v.* Βορρᾶς. *Sic* Βρεχμὼ *ſuo loco, pro* Βρεχμᾶ, *id eſt,* Βρεχμών· *&* ῆ *pro* εἶναι, *in v.* Ἐλεάτης, *p.* 1167. *&c. &c. Sic ad v.* Δευτερόπλους Sam. Petito τὶ *tribuit, pro* ἢ, *characterem non diſtinguens. Cujuſmodi plura in* Notis *commiſſa eſſe deinde patebit.*

§. III. *Haec ſpeciminis loco. Contra vero laudandum maxime cenſeo Editorem, qui* pag. 349. Ed. Hack. *poſt v.* Ἐπέθεντο, *longam ſatis Gloſſarum ſere centum ſeriem, in fine* pag. 351. *definentem, ſive proprio Marte, ſive a Viro quodam docto monitus, recte & feliciter tranſponendo reſtituit primus: ubi de ingenti lacuna, jacturaque Vocabulorum non exigua, querelam* Dan. Heinſio *moverat priorum Editionum confuſus ordo, quem a nemine animadverſum vel notatum antea fuiſſe miror. Equidem Schrevelianam Editionem hac parte ſequi non dubitavi, praeeunte quoque literarum ordinis obſervantiſſimo Phavorino. Reliqui tamen quinque Gloſſas p.* 1332. *ante v.* Ἐπεσόχαζεν *ex iſta confuſione inutiliter & vitioſe repetitas, quibus carere forte quis mallet: ſed nihil temere delendum putabam. Vide quae p.* 1318. *notavi ad v.* Ἐπεγκαυάξαι (*ubi vitio typographico* Ἐπεγκανάξαι *legitur*) *& p.* 1324. extr. *ad v.* Ἐπελήκεον. *Similis Gloſſarum XVI. tranſpoſitio adparet in lit.* Τ, *p.* 894. Ed. Schrev. *poſt v.* Ταρίφη, *uſque ad v.* Ταριχεύσαι. *Quem ad modum in v.* Ἀγὲν, *poſt* καὶ ἦγεν *reponendum curavi integrum Homeri verſum, qui in prioribus Edd. (excepta ſolum Hagenoënſi) perperam ſubjectus erat verbo* Ἀγέμεν.

§. IV. *Ad Editionis Schrevelianae* Notas *veniamus; de quibus plura etiam monenda ſunt. Optima ſine dubio ſubſidia, a variis conquiſita, in manibus habuit Schrevelius; non ea tamen, qua par erat, cura vel peritia paſſim digeſta & protracta: ut ſaepius conqueſti ſint harum rerum ſtudioſi. Utinam in* Suiceri, *novam eodem tempore molientis Editionem, incidiſſent manus, cui ab eodem tunc* Bigotio *ſpem factam eſſe liquet ex ineditis, quas proferam, literis! Permulta enim bonae frugis, & meliora non nunquam quam prima fronte videantur, corrupit Editor, verborum ſententia ſaepe jugulata, neque paucis vel prorſus, vel ex parte omiſſis, ſive ea minus intellecta ab eo fuerint, ſive negligentius deſcripta; ſic ut quid velint aliquando Notae Schrevelianae, exputare vix queas, & Delio natatore opus ſit. Quod ne fruſtra dixiſſe videar, ex multis pauca dabo.*

1. Mutilas *paſſim deprehendi Notas* Sopingii, Palmerii, *aliorum, quibus uſus*

uſus eſt Schrevelius: ut dudum quoque monuit in Specimine ſuae Editionis Jo. Verwey, ad v. Ἀβαῖλες. Quae integriora ex illorum Virorum autographis, poſtquam nacti ſumus, exhibuimus, reliqua quae in operis initio videre nondum contigerat (Palmerii praeſertim) in Addendis poſtea (Deo volente) daturi. Vide exemplum prolixioris Palmerii Notae, a Schrevelio mutilatae, in v. Ἡνία στιγαλόεσσα, p. 1641. (quo ipſe provocat Palmerius Exercit. in Auct. Graec. p. 482.) cujuſmodi plures adferre facile eſſet. Sic truncatae ſunt Notae Sopingii, in v. Αἴθρυλα, Ἀλέα, Βαχία, Βίσηγις, Βόλωθον p. 739. &c. &c. Fungeri, in v. Αἰεῖοι &c. aliorum paſſim.

2. Omiſſae prorſus hic ſunt plures Notae Sopingii, Palmerii, &c. quas reſtitui ſuis locis, addita plerumque monitione. Sic in v. Ἀρηιφοιτικὸς patet Ill. Bentleji inventum Sopingio jam olim in mentem veniſſe. Plura quoque in aliis, quae videre non licuit, omiſſa eſſe, vix dubito. Ita ex Salmaſii Codice Cl. Kuſterus ad v. Ἀτίζεις, aliique ad v. Ἀβάκης, & ex Cod. Guyeti idem ad v. Βλῶσις, adfert quae non adparent in Edit. Hackiana. Abſolvendus tamen videtur, vel excuſandus in variis Schrevelius, quia in Praefat. monuit, ſe multorum Doctiſſimorum Virorum exemplaribus uſum fuiſſe, aut excerptis ex exemplaribus, quorum catalogum recitat; adeoque culpa ſaepius in eos tranſferri poſſe videtur, qui excerpta male deſcripta cum ipſo communicarunt. Eadem de cauſſa forſan aliquando remittitur Lector ad alium locum, ubi Nota inſpicienda non adparet: ex. gr. in v. Στεύγλος Soping. ſcripſit: „ Vide ſup. „ ad Ἀλαῶπη. „ ubi tamen ne γρῦ quidem.

3. Lemma marginale, quod in uſus privatos adnotaverant librorum poſſeſſores, interdum Notis inſertum, quaſi Nota eſſet, vel emendatio. Sic ad v. Ἄδωνις repetitur quod in Textu eſt, nempe Ἀφροδίτη ἐν Λιβύῃ, quod Salmaſ. tantum in margine poſuit ſine dubio, ut notaret illud Veneris Libycae cognomen. Similiter in v. Ἀδρὸι, ante Ἄδρυα, ubi vid. Not. ut & ad v. Ἀστεφάνη - - - Πυθιαστάς· ad v. Ἐπὶ καίρων - - - ἔφθειρεν, de Croeſo, p. 1360. & elariſſime ad v. Ἄψυχες, & v. Θάψινον, ubi fluvius Thapſus memoratur. Conf. ad v. Ἐπίνητρον. &c. &c.

4. Majori etiam ſtupore aliquando Notae, non ſine injuria Doctorum Virorum, vocabulo plane alieno ſubjectae ſunt, quae in Ald. vel Hagen. Edit. ob majus chartae ſpatium e regione loci illuſtrandi adſcriptae fuerant, quamvis adverſam paginae partem reſpicerent. Quod in Edit. Hack. minime detegi quum poſſet, Lectorem implicare non tantum debuit, ſed & cauſſam dedit ſubinde, ut praeter meritum vapularet illius Notae auctor. Sic ad v. Ἀπαιβοῖδος relata eſt Sopingii Nota, quae pertinet ad v. Ἀπαμβεμίκη· ſub v. Ἀπιθὴς ejuſdem Nota comparet, referenda ad v. Ἀπαρθένιντα. Conf. ad v. Ἄσπες, Ἀσίῳ, Δῆμος καλὸς. &c. Sic ad v. Ἐχάζετ κῆρ ἀλ. reperitur, quod ad v. Ἐφολκίδα· ad v. Ζηρὸι, quod ad v. Ζίξ· ad v. Ἡγητηρία, quod ad v. Ἡδωτῆρες· ad v. Σαμιακὸς τρόπος. - - - τοὺς δὲ ἐμβόλους &c. quod ad v. Σάλαγξ pertinet, &c. &c. Omnes iſti errores ex eodem incuriae fonte manarunt; quos detegere & abſtergere moleſtiam aliquando, immo faſtidium peperit.

5. Eodem ſaepe modo Notas variorum confudit, & uni tantum adſcripſit; quae ſeparandae erant, conjunxit; turbatoque ordine ad alienam Gloſſam, ſive proximam, ſive remotiorem, retulit; quas in ſedem ſuam revocare itaque coactus ſui. Exempla ſunt infinita. Inſpice tantum collatas Editiones Hackian. & noſtram ad v. Ἀγωγὴ, Ἄδηα, Ἀεῖος, Ἀλμαῖραι, Ἀνδρόμεον, Ἀπαλέϊλες, Ἀτλάλη, Αὐτοφεία, Βαίμεναι, (ubi Guyeti Nota, ad ſeq. v. Βαίη pertinens, Coccejo fraudi fuit) Ἐκλελαμμένον, Θίξη, &c. &c. Similiter Sopingii Nota ad v. Βέτυρον (etiam omiſſo nomine) retrabenda ad v. Βάτυπος, ſubſtituta praeterea, quam ex autographo dedi. Pariter quod eſt ad v. Κελλωπᾶς, pertinet ad v. Κελδοί· Ejuſdem ad v. Λάπης, adſcribenda voci Λαπτής· ad v. Πλαλέα, Guyeti prior Nota ad v. Πλάτων, πλαγὼν, ſpectat; altera ad v. Πλαπὰ, τὰ ὐ πλ. &c. quamvis Πλάτων, ex

conſueta literarum Τ & Γ *confuſione, potius corruptum videatur pro* Πλαγὰν, *Dorice pro* πληγὴν, *ut ſuperius habetur. Sed de his alias: neque plura confuſarum Notarum exempla adferre opus eſt.*

6. *Miſere ſaepius* corruptas *eſſe Doctorum Notas, tum ex dictis abunde patet, tum aliis exemplis, etiam putidis, oſtendam. In v.* Ἀγτεγξῶν, *pro* Ione *Comico, Ed. Hack. dedit* Ionicum, *quaſi de dialecto Ionica cogitaſſet* Salmaſius, *cui* ἀκήτων *pro* ἀκήτᾳ *tribuitur in v.* Ἀκταία, *ut* πετρώδων τόπων, *pro* πετρώδεις τόπους, *in praec. v.* Ἀκτάς. *In* Sopingii *Nota ad v.* Ἀγὸς, *vitioſe* כְּסוּם עָנוּר *legitur, pro* כְּסוּם עָנוּר *ut ſaepius in Hebraicis aberravit. Porro in v.* Ἀλιετρὸν, ἁμαρτωλὸν, Guyetus *in Ed. Hack.* „Ἀλιτρὸν, *id eſt*, purpura „ obſcuri coloris. „ *Emendationem probo; quae lectio inf. ſuo loco adparet: quamvis tranſpoſitis literis forte fuerit* Ἀλιετρὸν, *pro* Ἀλιτρὸν, *ut inf.* Ἡλίῤ, ἡμαρῤ, *ubi ſeries* Ἡλιῤ *poſtulat. Sed explicatio Latina ſequens plane non reſpondet, conveniens potius proximo* Ἀλιδνοφῆ.

In v. Ἀπομήσασθαι - - - ἀπελθὼν, *Schrevelius male legens maculatam* Sopingii *emendationem, pro* ἐπανελθὼν *edidit* ἀπανελθὼν. *Graviorem errorem vide ad v.* Βόλωθον, *poſt* Βόλβιτα. *Et injuria vapulat Vir Doctus ad v.* Ἐπίπασσει, *quaſi* πιστὰ *pro* πιστὰς *correxiſſet. Plurima autem vitia inde nata ſunt, quod auctoris illius manum non adſequutus ſit* Schrevelius, *vel quiſquis demum fuerit tantae oſcitantiae & inperitiae deſcriptor. Ita* Juſtinus *pro* Luciano, *ad v.* Ἀπρόκιεφα· *Litera* χ, *pro* νſ. *ad v.* Ἄμφιον· ἀφύταινα, *pro* ἀρύταινα, *ad v.* Ἀφύτεις· *conf. inſigne exemplum ad v.* Ἀγωγία, *p.* 79. Feſtus *pro* Polluce, *ad v.* Βαρβός· & cap. 3. *pro* §. CXI. (*non inſpecto, ut paſſim, auctore*) *ad v.* Ἑλλοπίδας· *ut nota numeralis* 6. *pro litera* σ, *ſive* Iliad. Σ. *ad v.* Ἐμμέλεια *exhibetur. Sic ad v.* Ζακελπίδες, *paginae numerum, inſpecto Athenaeo, diſcere potuiſſet. Similiter ad v.* Δεκῶν (*ante v.* Δεκαυᾶσθαι) *pro* Joſ. *legens* νſ. *geminam vitiavit citationem, ne quidem inſpecto Codice Sacro. Idem ad v.* Ἐν σφαιρῳ *ex duabus poſtremis literis vocis* Tyrio, *ob exeuntem verſum diviſae, lepide finxit numerum* denarium (10.) *Ad v.* Ἐξηγήδιοι, *a latere pinxerat* Sopingius ἐξ αἰκλε, *reſpiciens ad ſeq. v.* Ἐξήκλω, *non animadvertente Editore. Quid* H. Stephano *factum ſit ad v.* Ἐπαλαζονευόμενοι, *ibi vide. Ad v.* Ἐπίῤῥωσις *lepide Numeralis nota* 16. *in Pronomen* is *converſa. Ad v.* Ἐπίκρος *pro* Scholiaſte *nomen* Scaligeri *poſitum. Ad v.* Ἐῤῥωπίζομεν *in* Palmerii *Nota pro verbis*, merci vili &, *ſine ſenſu dederat* verum, *manu Palmeriana deceptus: quemadmodum eadem de cauſſa ad v.* Θεῖα, *pro* diminutive *editum fuit* divinatione; *quod vix divinare potuerit Lector. Ad v.* Ζευγεία *Herodoti* βωνὶ *in* τρυνὶ *mutatum; ut* τεῦφος, *pro* τροφὸς, *ad v.* Θηλαμών· & αἰθὼ, *pro* ἀ θίω, *ad v.* Θιῖη, *ubi vide plura. Conf. ad v.* Ἡλεμίσλεμα, & *ad v.* Ἡλιάζαι, *ubi triplex error ex male lectis* Sopingii *verbis, neque inſpecto Arriano, ſcil.* Epiſt. *pro* Epict. ἐαδέξαι *pro* ἔκδι & συγκληπάων τόπε, *pro* συγκληπτῶν τόπους. *Sic ad v.* Ἥρωαι, 4. Scal. *pro* Joſ. Scal. & μασπδὸν, *pro* μάστσον, *ad v.* Θώμισον. *Ad v.* Λασίσμαλα *jocularis error, ubi* Sopingius *nomine* τοῦ Λάσου *ſignificari cenſebat* Laſum illum Hermionenſem, *de cujus ſophiſmatibus Athenaeus. Sed* lapillum Hermionem *lepide ſubſtituit Editor. Mitto plura, quia nugarum taedet.*

7. *Aliorum Notis aliquando* ſuas inmiſcuit *Schrevelius, quemadmodum* num. 5. *diverſas variorum conjunctas dixi; idque ſine ulla monitione, aut diſtinctionis indicio. Sic paſſim videmus Athenaeum, Harpocrationem, alios, tam recentiores, quam veteres, laudari, quorum mentionem Notae auctor non addiderat. Saepius ita* Anonymus, *adjecta tantum nota numerali, occurrit, ab aliorum* Notis *non diſtinctus; idque quavis fere pagina repetitur. Multi quid velit, aut quis ſit ille* Anonymus, *ignorarunt. Alibi tamen Homeri quemdam interpretem ſe reſpicere declarat, ex. gr. ad v.* Ἀδῦσι *citat* Anonym. in Hom. p. 207. *Intelligendus eſt, ut verbo dicam,* minorum Scholiorum *in*

Ho-

Homerum auctor, quae vulgo (etſi perperam) Didymo tribuerunt. Spectavit Editionem Hervagianam *Poetae A.* 1535. fol. *Quum vero non indiligenter eadem Scholia adhibuerim, & ad verſuum numerum loca enotaverim, nolui ſemper* Anon. *ſubjicere, quod & ſaepius loco alieno adpoſitum.*

8. *Schrevelius* errores Doctorum *quorumdam deſcripſit non tantum, ſed & ſolos* dedit *aliquando, quamvis Viri Docti ipſi errorem deinde ibidem adnotaſſent: quod reticendum non erat. Ex. gr. ad v.* Ἀττέλειος, *ſive* Ἀπελλεῖος, *a* Sopingio *tentatus adparet Philonis locus, in quo* ἀκατάσχετος *emendatur, pro* ἄστατος. *omittitur autem manifeſta erroris profeſſio, quam ex* Levit. XI. 22. *poſtea adjecerat auctor. Hac de cauſſa, ne quis miretur,* Sopingii *Notam ad v.* Ἀπόκελις („ Vide Athen. lib. XIV. & inf. in Μάκλης.„) *omittendam cenſui, quippe natam inde tantum, quod prius Pollucem tentaverat l. IV. c.* 14. *legendo pro* βακτριασμὸς καὶ ἀπόκινος, βακχιασμὸς καὶ ἀπόκελις. *poſtea errore animadverſo ſe correxit, addens:* Sed vide Athen. *&c. Quae itaque, demtis praecedentibus, nullum fundunt ſenſum idoneum, Heſychii loco convenientem.*

9. *Interdum* Graeca *quaedam in Notis comparent, quae in* Tho. Brunonis *Codice ex aliis Lexicis Graecis ad marginem ſcripta reperit Schrevelius, nulla admonitione uſus. Ita ſtatim in principio, ad v.* Ἀ, ἀ, *n.* 6. (*p.* 2. *meae Edit.*) *vocem* ἄγνωτον *adjecit; & ad v. ſeq. n.* 10. *compluſcula etiam, e Suida depromta, leguntur. Conf. ad v.* Ἀάλιον, Ἀάσαι, Ἀάστους, *&c. Similiter ad v.* Ἀγωγεύς, *ex Phot. Lex. MS. item ad v.* Ἀγωγία, *&* Ἀγών *&c. Eodem modo ſaepius* MS. *laudatur a Schrevelio, ut dubium faceret, num forte* MS^a Codicis *Heſychiani aliunde uſum, vel excerpta, impetraſſet, omnibus hactenus incogniti; aut quid demum intelligendum ſit. Citatur autem ad v.* Ἀβάμαλα, Ἄβη, Ἀβλαβώνιον, Ἄθαμβος, Ἀθηναία, Αἴθεμα, *&c. Dudum conjeceram, deſignari Gloſſarium aliquod Graecum MStum, vel a Schrevelio, vel ab alio Viro Docto cum Heſychio in variis locis collatum. Verum certo deinde cognovi quid rei ſit, poſtquam Pariſiis inter alia ſubſidia, deinde celebranda, ad me delatum eſſet Hagenoënſis Editionis exemplum, quo uſus olim fuit Nob.* Samuel Sorberius. *In eo vidi ad eadem loca* MS^a *mentionem fieri. Et ne quis dubitet, quin MS. Gloſſarium aliquod, cujus lectiones contulerat Vir Doctus, intelligendum ſit, fidem faciat quod ad v.* Αἴθεμα (*poſt* Αἰθιοπὶς) *aperte notatum invenerim:* „ Gloſſ. MS. στίφη. „ *ubi Schrevel. tantum exhibet:* „ στίφη MS. „ *Paſſim quoque alibi tacite, vel addito* vide, *& interdum ſubjecta ſola litera* S. (*ſub qua alibi* Soping. *latet, &* Salmaſ. *Vid. ad v.* Δημητρεύεσθαι) *Notis ſuis inſeruit Schrevelius, quod e Sorberiano Codice ex MS. iſto Gloſſario hauſtum fuit; ut ſuis locis monemus. Vide tantum ad v.* Ἀποστυγνῦν, Ἀρδανίαι, Ἐξ ἀείρω, &c. *Saepe etiam notatas in eodem Codice meliores lectiones, quaeque alicujus momenti ſint, in Edit. Hack. omiſſas deprehendi. Vide quae notavimus ad v.* Ἀγχεμαία, *& ad v.* Ἀθηναία.

10. *Similiter* Auctorum nomina *non raro* praetermiſit *Schrevelius, nullius mentione facta, ubi* Sopingius, *vel alius, laudandus fuiſſet; unde ipſius Schrevelii eas eſſe Notas, quis exiſtimaret, quas vero auctori reſtituimus. Vide in v.* Αἰδοιωθῆναι (*ubi* Guyeti *nomen comparet*) Αἰλόχειος, Ἀλέα, Ἀμφωξίς, Ἀταβάτης, Βαλῆρος, Βίτορος, Λαμιῶν, Ῥοῖκα, *&c. quae* Sopingio *ſublegit, etiam vitioſe; ut* Palmerio *paſſim alia. Vide ad v.* Ἐπὶ Λιναίῳ, Συβελασμὸς, *&c. &c.*

11. Salmaſio *ſaepiſſime tribuuntur, quae* Scaligeri *ſunt, vel in ejus ſaltem exemplo (quod Bibliotheca noſtra publica ſervat) in margine reperi. An vero* Salmaſianae *Notae, quibus ſe adjutum ſuiſſe Editor in* Praefatione *monet, ſint iſtae forſan, de quibus in operum Salmaſii catalogo,* Epiſtolis *ipſius praemiſſo, tanquam brevi edendis, loquitur Anton. Clementius p. LXVIII. dicere non habeo. De* Guyeto *autem, qui ſaepius unica litera* G. *notatur in Ed. Schrev. (ut plures unica tantum litera deſignantur ibi) paullo poſt monendum; ut & inferius de* Palmerio, Sopingio, *aliis, quorum ineditas notationes adhi-*

 buit

buit Schrevelius, praecipua Praefationis *ſuae parte quoque ex* Sopingii *Codice ſubrepta, quae incipit a verbis,* Quiſnam fuerit, non conſtat: *&c. deſinit autem in his,* nemo ſano perſuadebit. *Quod ibidem deſignavi, & in variis locis ex autographo emendavi.*

12. *Adtexere plura poſſem, ubi Schrevelius ex proprio penu depromta veterum & recentiorum loca adtulit* ἀπεγγραφικῶς *plane; ex. gr. ad v.* Εὐρυκλῆς, *de feſto* Εὐρυκλέας, *quod minime huc facit, inſpicere jubet Meurſium. Sed deſino: nimius enim jam fui.*

CAPUT IV.

De Editionibus promiſſis, & latentibus Doctorum Notis.

§. I.

Poſtquam ita varias Heſychii Editiones luſtravimus, ante quam propius ad hanc noſtram, ejuſque praeſidia, accedamus, operae pretium videtur non nulla de promiſſis *quorumdam* Editionibus *praemittere, & quaenam alibi etiam nunc* deliteſcant *Eruditorum hominum lucubrationes, indicare. Neque omnes tamen, qui hic aliquid tentaſſe dicuntur, anxie enumerabo, quum & incertiora quaedam ſunt, & plura inferius quoque enarrabuntur. De celebrioribus itaque, & aliunde notis, potiſſimum dicam.*

§. II. *De JOS. SCALIGERO, quamvis varias (ut in alios pleroſque Auctores) Heſychio ſuo emendationes alleverit, non liquet, unquam eum de Editione ſuſcipienda cogitaſſe; ſed* D. Heinſio *potius auctor ejus fuiſſe videtur. De ISAACO CASAUBONO nihil etiam conſtat, niſi multa & ipſum in ora Codicis ſui emendaſſe, cum D. Heinſio facile communicanda. Eorum frequens mentio eſt in ipſius* Epiſtolis, *locis ſtatim indicandis.*

§. III. *Serio magis hanc rem meditabatur DANIEL HEINSIUS,* admodum *etiam* adoleſcens, *graviſſimum ita languorem, quo laborabat, in paternis aedibus ſublevaturus: ut teſtatur in* Lect. Theocrit. *p.* 377. *Idem ad Horat. L. I.* Epiſt. I. *vſ.* 30. *p.* 51. *aperte promiſit. Conf.* Proleg. *ad* Ariſt. S. *p.* 663. *& Cl. Sarrav.* Epiſt. 13. *p.* 19. Ed. Burm. *Atque eo tempore* Caſaubonus *ſaepius ad eum ſcripſit, ſi pergeret in utiliſſimo opere, (ut idem hortatur,* Epiſt. 198. *&c.) ſuarum ſe obſervationum & emendationum Heſychianarum* πάσφορον ὄγκον *facturum ei copiam.* Multa enim, *inquit,* ὁδοῦ πάρεργον emendavimus in ora noſtri Codicis, cum aliquando eum Criticum ἐς πόδας ἐκ κεφαλῆς percurreremus. *Vid. Caſaub.* Epiſt. 217. (*Ed. Graev.* 1656.) 222. 247. *&c. Diſertius* Epiſt. 265. Etſi, *ait,* poſſe te opera noſtra carere ſcio (qui magno Scaligero adeo familiariter utaris; *ut dixit* Epiſt. 222.) quia tamen ita vis, colligam ſimulac otium nactus fuero. *Et* Epiſt. 289. valetudine & curis *morae ſuae amplioris culpam excuſat. Verum poſtquam* & occaſio *Heinſium,* & ipſius genius, ad alia ſtudia vocaſſet, (*Jani Rutgerſii, fratris ejus adfinis, verba ſunt, A.* 1618. *in* Var. Lect. *p.* 561.) *ab incepto nobili deſtitit, relictis tantum Codicibus ſuis, quibus Notas ſuas ſparſim adjecerat. Illorum autem, a nobis poſt Verwejum adhibitorum, hiſtoriam inferius ſuo loco tradam. Ob eandem cauſſam de* Godefredo Sopingio *nihil hic monebo; de quo infra copioſe.*

§. IV. *De* Salmaſii *Emendationibus in Heſychii Lexicon Ant. Clementius in* Vita *ejus p. LXVIII. ait:* Hae brevi excudentur. *Sed, ut paullo jam ante dixi, nihil cetera de his liquet. Neque etiam de* Jo. Meurſio (*quod Cl. Morhof.* Polyh. *T. I. p.* 797. *indicare tamen videtur*) *mihi quidquam patet: cujus ſaepe emendationes* Scaligero *non ignotas fuiſſe comperi. Multas* Meurſii

ſii manu conſcriptas Notas, etiam in Heſychium, Upſalae penes Cl. Ulr. Obrechtum fuiſſe teſtatur Baudelot. de l'Utilité des Voyages, *T. II. p.* 733. *Aliquid autem molitum fuiſſe CHRISTIANUM SCHOTANUM, & ARCERIUM, ex G. J. Voſſii* Epiſtolis *colligo. De* Schotani *futura* Editione *loquitur A.* 1640. Epiſt. 393. *ad J. A. Van der Linden, p.* 359. Ed. Lond. *addens etiam:* „ Jam anni triginta & amplius ſunt, quod *Cl. Heinſius* „ promiſit: & multa oſtendit mihi quae obſervarat. Verum aut valde fal- „ lor, *aut* editurus nunquam. De *Cl. Schotano* longe meliora ſpero, pau- „ cioribus, ut arbitror diſtento. Quare ſi intellexeris ex eo, jam jam e- „ dendum nobiliſſimum Grammaticum, *&c.* „ *Deinde* Epiſt. 411. (*A.* 1641.) *ad eundem, p.* 375. „ Interea nihil impedit, quo minus *Cl. Schota-* „ *nus* adnotet, quaecunque ſibi ex veteris amici mei *Sopingii* Codice uſui „ eſſe poſſint. „ *Iterum* (*A.* 1647.) *ad eundem, Epiſt.* 536. p. 452. „ De „ Heſychio quaeſo aurem velle eximio *Schotano. &c.* „ *Loquitur ibidem de filii ſui, tum peregre profecti,* Iſaaci Voſſii, *Codice tranſmiſſo ad ornandam Editionem iſtam. Sed in eadem opera ſuas etiam partes habuiſſe Cl.* Arcerium, *patet ex Voſſii* (*A.* 1641.) *ad eum data* Epiſt. 414. *p.* 377. „ Tandem igitur *Heſychium* mitto, poſtquam Britanniam petiit *Iſaacus* meus; „ cui nihil aeque in voto, quam ut *ingenio induſtriaeque tuae* plurimum e- „ ruditiſſimus debeat Heſychius. Multi hactenus Scriptorem eum *promiſe-* „ *re;* ſed *Te* eum fore confido, qui ſpem expleas Reip. literariae. *&c.* „ *Non potuit ad binos diverſos eodem tempore Editores ita ſcribere Voſſius, niſi cogitemus, eoſdem ſocias operas huic Franequerae Editioni tribuiſſe. Utique ſic* Chriſt. Schotanus *Voſſio reſcripſit* Part. II. Epiſt. 324. *p.* 218 „ Jam „ vel hoc nomine *Heſychii Editio* allubeſcit *&c.* Tu enim, Eruditorum exi- „ *ſtanter*, hortantibus Collegis Amiciſſ. *DD. Lindano* & *Coccejo*, appre- „ hendi, vergente quidem huc & trahente prona mea voluntate, rapiente „ autem neceſſitate pene rei - - - at repellebat conſcientia tenuitatis, quae „ optaret tanto Grammatico doctiorem operam admoveri. *&c.* „ *Deinde in-* *terjectis quibuſdam de* Iſaaci Voſſii *Editione, quam is cogitaverat, cui locum ita cedere mallet, ſic pergit:* „ Sin autem, fervide urgebo τὴν ἔκδοσιν τὴν ἐμὴν, „ fretus Veſtra tam benigna pollicitatione, ſimulque aliorum inſignium Vi- „ rorum, qui Symbola conferre ultro etiam promiſerunt. *Tui* autem, Vir „ maxime, *exemplaris* cujus uſus erit, *ſignificabimus*, & poſt breviſſimi tem- „ poris uſuram, fide optima, remittemus. „

§. V. *De ISAACO VOSSIO quum in laudatis* Epiſtolis *ibidem paſſim locorum agatur, ejuſque Codice, non opus eſt ut hic verbum addam. Inferius enim, quomodo ille ad me theſaurus devenerit, exponam latius. Fuit certe etiam inter Promiſſores.*

§. VI. *Eadem Cl. JO. CASP. SUICERI res eſt, qui Editionem ejus promiſit in* Obſerv. S. *p.* 139. *A.* 1665. *Tiguri in* 4^to^. *editis.* Duplex *edidit quoque* Specimen, *quorum poſterius in eodem libro exhibet; prius in forma majori ediderat Tigur.* XII. *Kal. Decembr.* 1662. *Utrumque, ut & videbis infra, ad calcem* Praefationum. *De PALMERII Notis poſtea quoque dicturus ſum: nec non de JO. VITO PERGERO.*

§. VII. *ALEXANDRUM MORUM novam Heſychii editionem in animo habuiſſe quis putet ex Cl. Sarravii A.* 1639. *ad eum data* Epiſt. 13. *p.* 18. *Hortatur enim Morum, ut Heinſianam Editionem, ſruſtra exſpectandam,* occupet: „ dignus enim Grammaticorum ille Juppiter, *inquit*, in quo „ tua deſudet induſtria. *&c. At ſerio nunquam de Heſychio edendo cogitaſſe Morum, vere monet Cel. Fabricius* Bibl. Gr Vol. IV. *p.* 550. *Neque ipſum ulli promiſiſſe memini. De* Thoma Gale *nihil etiam novi ultra quod Fabri-*

cius, modo laudatus, ibid. *ſub fin. monuit, ipſum* 4000. *amplius loca in promtu habere, quae in Heſychio meliora reddere poſſit, ſi nova adornanda eſſet Editio.*

§. VIII. *Haud diſpar ratio fuerit* JOANNIS PRICAEI. *Scripſerat equidem in* Praefatiuncula, *Heſychiano Auctorum* Indici, *A.* 1650. *ad calcem Apulejanae* Metamorphoſeos, *praemiſſa:* „ Id & alia perſequendi fortaſſe e„ rit brevi locus: in *nova* nempe *Heſychii editione*, ad quam prae ſe fert „ Librarius noſter, non noſtro tantum impulſu, ſed & ſuo impetu ferri. Ad „ coenam adeo lautam vocatos hortamur ne immunes veniant, quin ad ſplen„ didum Contextus apparatum bellaria Annotationum conjiciant. Nos cer„ te, ne aſymboli accedamus, pro viriculis adnitemur.„ *Sed praeter* Indicem *illum*, & *ſparſas hinc inde Emendationes, nihil dedit. Eodem modo* TANAQ. FABER, *ad tempus tale quid ſubito mente volvens, de quo nihil deliberatum & conſtitutum erat*, *A.* 1662. Epiſt. 7. *p.* 15. *P. II. G. Patino ſcripſit:* „ Heſychium certe paeniſſime emendatum ἐκ ποδὸς ἐς κεφαλὴν „ dare potuiſſem; ſed malum literarum fatum ſpes egregias afflictas dedit.„ *Iterum* Epiſt. 19. *p.* 60. *A.* 1663. „ Vides - - - quid - - - ſperari poſſit. „ Sed magna res eſt, & otium & ingentes ſumptus deſiderat; & qui utrum„ que antehac ſuppeditare poterant, ii nulli amplius ſunt: &, quod omni„ um deterrimum eſt, mihi verba ſunt ſine penu & pecunia.„ *Haec quo tendant, & quid de iſtius modi Editionibus habendum fuerit, quiſque videt.*

§. IX. *Ob nimias quoque difficultates a propoſito diſceſſiſſe videtur* Thomas Munkerus, *qui aliquam Editionis ſpem fecerat ad Anton. Liberal. c.* 6. *p.* 51. *ubi quibuſdam locis tentatis ſubjicit:* „ Haec in guſtum ſufficiant. Quod „ ſi ſtudium noſtrum qualicunque modo juvandi bonas literas non ingratum „ tibi eſſe intellexero, non parum animabis me, ut aliquando aliquid boni „ faciam Heſychio.„ *Sed &* Berkelii, *antagoniſtae acerrimi, criſis eum forte deterruit. Nihil utique porro dedit. De ipſius Codice, hodiedum ſuperſtite, infra dicam, ubi de* Verwejanis *adminiculis.*

§. X. *De* JO. VERWEJO, *ejuſque inchoata Editione, res eſt notiſſima. Quum autem in ſequentibus de eo ex profeſſo agendum ſit, inter promiſſas hactenus Editiones de eo verbum addidiſſe hoc loco ſuffecerit. Non negligendus interim Ill.* EZECHIEL SPANHEMIUS; *quamvis non ipſam quidem (ſi bene memini) Editionem promiſerit, adparatum tamen copioſum jam a prima aetate, promovente tum conatus eos Cl.* Salmaſio, *collegiſſe teſtatur* Tom. I. de Praeſt. & Uſ. Num. *p.* 233. Ed. maj. *Et iſtum quidem theſaurum latere etiam nunc apud Berolinenſes, literis mihi ſignificavit Cl.* Jac. Elſnerus. *Ex nupero quoque* Theſauro Epiſtolico La Croziano, *T. II. p.* 237. & 239. *vidi*, Heſychium *illum* Spanhemianum *ante hos annos in uſum ſuum expetiiſſe a Celeb. La Crozio* J. C. Wolfium, τὸν Μαυρέτιον. *Dubium non eſt, quin egregia plurima inde hauriri queant. Varia tamen obſtiterunt, quo minus Notas illas (de quibus fero etiam inaudiveram) ad noſtram Editionem ornandam abhibere potuerim.*

§. XI. *Inſignis autem utilitatis omnino fuiſſent Notae Reverendiſſ. Ceſtrienſium Epiſcopi* JOANNIS PEARSONII, *Viri in hoc literarum genere ſummi, ſi ad manum fuiſſent. De eo Mericus Caſaubonus ad Hieroclem p.* 181. Ed. Lond. 1654. *memoriae prodidit*, Heſychii & Suidae (*a Kuſtero adhibiti*) *eum* Editiones dudum moliri. *Neque vero praeſtitit Vir eximius. Superſunt tamen in utrumque Lexicographum Notae illius locupletiſſimae, Cantabrigiae in Collegio S. Trinitatis; unde Specimen aliquod mihi ante hos annos tranſmiſſum in hac Editione comparere volui; ut ſtatim in principio, & ad corruptiſſimam Gloſſam* Βάδηδι, *p.* 674. *Hujus theſauri nanciſcendi mihi ſpes aliquando facta, tandem (neſcio quo modo) evanuit. Poſtea de ſimilibus chartis Pearſonianis, in Ceſtrienſi Bibliotheca latentibus, me monuit Nobil.*

bil. Jeremias Dyſon, *cui pro benigne oblata ope, ut & ceteris Viris Clariſſimis, gratias ago maximas. Quandoquidem enim nimium nunc proceſſerit Editio, adeoque non niſi poſteriorem partem bis acceſſionibus ornare liceret, differendum potius exiſtimavi, nihil interim prius habiturus, quam ut conjunctim poſtea ad calcem operis omnes* Pearſonii *Notae proferri queant. An vero ibidem Magni* Bentleji *curae quoque adſint, ignoro; quarum pretium norunt omnes.*

§. XII. *Cl. LUDOLPHI KUSTERI promiſſam Editionem mors prohibuit. Quae tamen abſolverat, hoc Volumine damus, infra de iis plura dicturi: ubi etiam de Rev. J. C. BIEL, qui* Heſychium Sacrum *cogitabat, nonnulla monebo. Praeter illos autem non ſuccurrit, niſi JAC. TAMNAVIUS, quem Heſychii Editionem pariter meditari notat Cl. Th. Haſaeus* Bibl. Brem. *Cl. VIII. Faſc. IV. p. 662. Nihil porro aliunde mihi ea de re innotuit.*

§. XIII. *Superſunt autem variis in locis plura* inedita Heſychiana. *Inter ea plurimae ſunt Obſervationes LAURENTII NORRMANNI, Upſalenſis quondam Profeſſoris Celeberrimi, de quibus a Reverendiſſ. Lincopenſi Epiſcopo,* Erico Benzelio, *humaniſſime monitus ſum A.* 1738. *per Cl.* Herm. Sam. Reimarum: *ſed operis jam progreſſi ratio aegre tunc admittere plura potuit. Idem dictum velim de oblatis Cl. JO. HENR. MAJI, Junioris, Gieſſenſis olim Academiae Philologi, Notis, quas cum reliqua ſupellectile libraria Academiae ſuae legaverat; quarum apographum mihi obtulit Cl.* Chriſtoph. Frid. Ayrmannus, *ibidem Philoſ. & Hiſt. Prof. primarius, & Acad. Bibliothecarius, additis illarum Notarum ſpeciminibus. His tamen adminiculis, una cum Cl. FRID. STRUNZII, Witembergenſis Poëſ. Prof. Codice Heſychiano, per Nob.* Jo. Chriſtian. Hedlerum, *officioſiſſimis literis 7. Oct.* 1734. *mihi oblato, carere malui, quod occupata a me plurima jam eſſent, neque libri moles & otium meum omnia ferrent. Ceterum in Anglia, Criticorum feraciſſima, hic illic multa praeterea delitescere me docuit ante hos annos literis Anglice conſcriptis* ἀνώνυμος *aliquis: nomen enim reticuerat, neque auctor quis fuerit intellexi. Gratus tamen benevolum ipſius animum agnoſco. Inter ea recenſentur anecdota Doctorum Virorum,* Morlandi, Nimpſelii Breſlavienſis, G. Langbaenii, Badgeri, *& aliorum. De quibus, adcuratius non eſt quod moneam. Adjicere poſſem & alios plures: uti adfectum commentarium ſuum quoque preſſit hactenus Cl.* J. C. de Pauw. *Sed haec in rei literariae uſum pro ſcopo commemoraſſe ſuffecerit.*

CAPUT V.

De hac Noſtra Editione, & variis ad eam adminiculis, etiam Schrevelii & Verweji.

Ad hanc ipſam, quam nunc damus, Editionem devenio, ut operis & inſtituti noſtri ratio conſtet. Quod ut ordine quodam fiat, ne nimia dicendorum copia Lectorem obruat, a SCHREVELII ſubſidiis *exordiar, quum Editionis ipſius Notas, adhibitis etiam autographis, retinuerim: deinde exponam, quibus adminiculis ego praeterea poſt VERWEJUM uſus novam hanc* Editionem *adornaverim, & quo modo in his omnibus digerendis & curandis ubique fuerim verſatus.*

SECTIO I.

De ſubſidiis SCHREVELII.

USum ſe fatetur *in* Praefatione SCHREVELIUS „*ſubſidio multo-*
„ *rum Doctiſſimorum Virorum*, & *exemplaribus*, *aut excerptis ex*
„ *exemplaribus* Junii, Scaligeri, *ceterorumque quos ordine recenſet*, *in* Ti-
tulo *quoque exhibitos: quorum omnium pleniorem notitiam haberemus*, *ſi* Bi-
gotii *ad* Wetſtenium *Epiſtola*, *cujus meminit* Dallaeus *in literis*, *inter* Wet-
ſtenianas *ineditas poſt* Praefat. *exhibendis*, *ad manus eſſet. Praeterea vario-
rum edita opera Critica Schrevelius evolvit*, *quorum ſeriem alphabeticam He-
ſychiano Prologo praemiſit; in qua pro* Eunapio (*quod obiter moneo*) *ſubſtitu-
endus videtur* Euſtathius. *Obſcuriores etiam ibi* Minaeus & Sipontius. *an* Si-
pontinus? *i. e.* Nicolaus Perottus, *cujus* Cornu Copiae *notum. De eo*,
praeter Comenii Indicem Lexici Latino-Latini, *vide H. Steph.* de bene in-
ſtit. Gr. L. Stud. *p.* 114. *Sed ad rem veniamus.*

§. I. *Ad JUNIUM quod adtinet: HADRIANUM JUNIUM deſignat*,
cujus emendationes (*quarum pars bona in* Animadverſorum *noviſſima Editione
legitur*) *a Viro quodam Docto ad marginem Hagenoënſis Editionis notatae
ſunt*, *collatis paſſim Zenobio*, *Diogeniano*, *Harpocratione*, *Suida*, *Phavori-
no*, &c. & *Florentina Editione*, *qua uſum fuiſſe H. Junium comperi. Ex.
gr. pro v.* Βρυλλογῶ, *vitioſe Flor.* - - λοιςῶ, ς *pro* ſ, *ubi* Junius - - λοισθῶ
correxerat, *non inſpecta Aldina: quod ad eum locum propterea notare minus
neceſſarium eſt viſum. Ex hoc itaque Codice*, *quem ſervat Biblioth. Lugd.
Bat.* (*in* Catal. *p.* 281. *n.* 126. Lit.) *quique olim fuerat* Wilelmi Goes,
quod nomen praefixum indicat, Juniana *deſcripſiſſe exiſtimo Schrevelium*, *a
me diligenter recognita.*

§. II. *JOSEPHI SCALIGERI Notae pari modo hauſtae ex ejus Co-
dice Aldino*, *qui in ead. Bibliotheca cuſtoditur proxime*, *n.* 125. *quem iti-
dem contuli. Cum illis autem ſaepius* Meurſio *convenit.*

§. III. *De CLAUDII SALMASII Notis paullo ſuperius dixi*, *eas
frequenter cum* Scaligeranis *convenire; quod num ex illorum nominum confu-
ſione ortum ſit*, *num aliunde*, *ignoro. Videtur tamen potius ex Galliis eas acce-
piſſe*, *idque vel ab* Emerico Bigotio, *vel ab* AEgidio Menagio: *utriuſque
enim ſubſidiorum mentio fit tum in* Dedicat. *tum in* Praefat. *Ed. Schrev. Ho-
diedum autem in Galliis tale exemplum ſervari*, *deinde didici. Vide* Not. *ad
v.* Ἀβάκης - - - ὁ Σκύθαι &c.

§. IV. *JACOBI PALMERII a GRENTEMESNIL*, Militis Ca-
domenſis, ad Heſychii Lexicon Emendationes & Notas (*ut autographi ti-
tulus eſt*) *ab ipſo auctore accepit Schrevelius; ut patet ex egregii Viri* Exer-
cit. ad opt. Auct. Gr. *p.* 482. *ſed miſere ſaepius mutilatae ſunt in Ed. Hack.
Eas* Steph. Morinus *deinde poſſedit*, *qui illarum uſum* Verwejo *conceſſerat.
Poſtea in operis decurſu ad me bonis avibus pervenerunt*, *ut inferius monebo.*

§. V. *FRANCISCI GUTETI Notas Cl. V.* AEgidii Menagii *humani-
tati deberi praefatus eſt Editor. Breviores ut plurimum ſunt*, & *etymologi-
cum acumen ſpirantes parum cogitate ſaepius effuſae videntur. Elegantiſſimus
quidem Menagius* Jur. Civ. Amoenit. *c.* 39. *p.* 476. Guietum, in inveſti-
gandis etymologiis hominem *vocat* feliciſſime audacem. *Cl. Hemſterhuſius
noſter ad Lucian. T. I. p.* 251. nov. Ed. *recte ita:* Saepius homini, cete-
roquin ingenioſo ac docto, contigit, ut inter ſubitam legendi feſtinatio-
nem, re minus penſiculate conſiderata, emendationes plane abſonas proje-
cerit, quas ego quidem utilius exiſtimarem in lituris perire, quam luci do-
nari. *Has interim*, *prout in Ed. Schrev. habentur*, *retinui*, *quum autogra-*

phum

pbum conferre non licuerit, quem Pariſiis tamen ſupereſſe, aliquando renuncia-tum eſt, & (ni fallar) inter theſauros literarios R. P. Ren. Joſ. Tourneminii, *juxta cum* AEgid. Menagii *& Ill.* P. D. Huetii *adnotationibus, etiamnum la-tere. Praeterea* Matth. Sladum *Guyeti Notis inſtructum exemplar habuiſſe, do-cet* Epiſtola Verweji *inedita, quam infra dabo. Conf. Cel. Graevii* Epiſt. *ad Cl. P. Francium (ad calcem* Poſthumorum *P. Francii, n.* 50. *p.* 373.) *qui iſtum poſtea Codicem nactus eſt; ut colligo ex* Catalogo *P. Francii, ubi adpa-ret* Heſychii Lexicon, Hagen. 1521. cum not. MSS. Guyeti & M. Sladi. *Vid. p.* 196. *n.* 667. *Forte & eo uſus eſt Schrevelius. Nam A.* 1704. *de-mum migravit, quando ex auctione Franciana exemplum hoc ſibi comparavit Fritſchius, Lipſienſis Bibliopola, una cum* num. 665. *in quo* Jac. Palmerii *excerpta: dum* num. 664. *pro Cl. Scherpenzeelio;* num. 666. *pro Doct. Ber-glero emeret Henr. Weſtenius. At quorſum ea pervenerint, reſcire non po-tui. Uſum autem fuiſſe Guyetum Edit. Hagenoënſi, dudum collegeram ex v.* Ἀλωπὸς, *ubi aliquid deeſſe monet in fine, ſine dubio ob oculos habens Hagen. Edit., quae exeunte pagina poſtremam vocem* παράγραφον *omiſit. Saepe ad cal-cem Notarum ejus poſitum* pl. *id eſt,* placet, *ut plane legitur ad v.* Γλαφυρόν. *Monendum praeterea, non infrequenter ſolam literam* G. *deſignare* Guyetum: *unde dubius initio haeſi, quando duae diverſae prorſus emendationes vel notae comparebant, quarum altera nomine* Guyeti *aperte, altera litera* G. *tantum inſignita, num forte haec* Gronovium *tacite indicaret. At ſcribendi ratio & indoles mihi deinde perſuaſerunt,* duos diverſos Guyeti libros *reſpici, atque inde illud eſſe diſcrimen. Quod ubique eodem modo itaque retinui. Vide tan-tum in litera A, ad v.* Αἰγαίων, Ἄκων, Ἄλκα, Ἀμφαφῆς, Ἀπεδίδασι, Ἀοζοὶ, Ἀπόψυγμα, Ἄρραν, Ἀπίζεις, Αὐτομάτηλα, *&c. conf.* Not. *ad v.* Θάνῃ. *Subinde ta-men utrimque diverſo tempore ſcriptae conſpirant Notae, ut ad v.* Ἀδία (*poſt* Ἀδηγές) *ad v.* Ἀλδαλᾶ, Ὀεχυπλεῖν, *&c. Ut autem* Guyetus *litera* G. *indica-tur; ſic interdum* Coccejus *litera* C, *ut ad v.* Βαΐμενα, *&c.* Lindanus *litera* L, *in v.* Ἀκὰς, *&c. at incertius, quiſnam alibi quandoque ſub litera* V. *la-teat, ex. gr. ad v.* Ἐσχεδίαζε, Εὐῆχος, Ἴυγκες, *&c. utrum* Voſſius, *an* Vor-ſtius, *ut videtur, qui diſerte laudatur ad v.* Εὖσεν. *etſi in* Tho. Brunonis *ex-emplari, infra laudando, eadem ad verbum in locis prioribus inveni. Magis dubia res eſt ad v.* Σπεκμοσιδής. *&c. Ego ſolam iſtam literam ſuis locis retinui: quod dubium facile tolli ab Editore potuiſſet, qui literarum parcior & alibi haeſitare Lectorem voluit pingendo literam F, pro* Fungero *credo, rarius (ſi bene memini) pro* Fabro; *&* S, *quae tres diverſos auctores,* Sopingium *pu-ta,* Salmaſium *&* Sorberium *condit, ut ſupra monui, p.* XIII.

§. VI. *Ad SOPINGIUM accedo, cujus* exemplaribus duobus *ſe uſum teſtatur in Praefatione Schrevelius; cui tamen ſatis ignotus fuiſſe videtur Vir ille egregius; ut ignotior paſſim ejus vita, ſummis meritis ornatiſſima, depre-henditur. Hinc Jo. Scheſſerus Nic. Heinſio A.* 1668. (*in* Syllog. Burm. *T. V. p.* 115.) *ſcripſit:* Inter eos, qui Heſychio emendando curam aliquam adhibuerunt, video laudari ſaepius *Sopingium.* Quis ſit, & an ſua quaedam ediderit (laudat enim aliqua) ſcire valde deſidero. Mihi vir Graecarum lit-terarum peritiſſimus videtur. *Cui Nic. Heinſius* ibid. *reſpondit:* Sopingius, ſi probe recordor, Theologus apud nos fuit ex Friſiorum provincia, qui Heſychii editionem ante annos hoſce quinquaginta & plures moliebatur, vir Graecarum literarum in primis peritus, & Parenti meo amicus. Nam ipſe hominem haud vidiſſe memini, qui me nondum nato, jam ad plures, ni fallor, abiiſſet. *Ut merito Cl. Theod. Haſaeus* Bibl. Brem. *T. VIII. p.* 669. *ſcripſerit:* Ecquis ille fuerit, ignoratur fere; immo C. Schrevelius, qui No-tas Sopingianas ſuae Heſychii editioni, quae venuſta magis eſt, quam ac-curata, inſeruit, ne verbulo quidem monuit, vel unde eas hauſerit, vel quis ille Sopingius fuerit, & vel ipſum ejus praenomen ſiluit. *Notaverat tantum*

Schrevelius in fronte Codicis Sopingiani, Frisium fuisse, *quum p.* 638. Ed. Hagen. *scripserit*, nos Frisii, *ad v.* Πυρέφθα. (*quamvis ad v.* Πυρμόν *relata ejus* Nota *sit in Ed. Hack.*) *Pleniores sane & praestantiores copias aliunde non acceperat Editor, si recte iis ubique usus esset. Sed de* Sopingio *nunc compluscula dabo, & quo modo ad me pervenerit iste thesaurus declarabo. Brevem de hoc Viro relationem, a Rev.* Eilh. Folc. Harkenrothio *quaedam monitus, jam ante hos* XX. *fere annos dedit Cl.* Hasaeus l. c. *qui tamen non legisse videtur* Epistolam de Vita & morte G. Sopingii, *quam mox post obitum ejus ad Cl. & Nobil. Tacitum ab Aysma dedit doctissimus ejusdem Amicus, & olim in Franequerano Athenaeo commilito, quotidiana plurium annorum familiaritate junctissimus,* Sibrandus (*vel, ut ipse alibi,* Sibrandus Tetardus) Siccama, *qui Reip. Bolsverdanae eodem tempore fuit a Secretis, quo Sopingius Ecclesiasticum munus ibidem gessit; fide itaque dignissimam, operique Sopingii postbumo, mox dicendo, praefixam. Praecipua quaedam inde delibabo, quum paucis* Epistola *ea innotuerit; quin & ipsum illud Sopingii opusculum*, Cel. *P. Burmanno* (*quod miror*) *ex Königii* Bibliotheca *tantummodo cognitum. Vide ejus* Not. *ad* Syllog. Epist. Tom. V. *p.* 115. *Nimirum GODEFREDUS SOPINGIUS*, cui vix parem (*Siccamae verba sunt*) vidit Frisia, *natus est Venerae municipio agri Transledani in Comitatu Frisiae Orientalis, A.* MDLXXIII. 16. *Septembr. Patre* Nicolao Sopingio, *cive Groningano, variisque doctrinae dotibus & in Ecclesiam meritis conspicuo, qui apud Greetzylanos, Leovardienses, Ultrajectinos* (*hic autem cum collegis Jo. Utenbogardo, Wernero Helmichio, Hermanno Modedo*) *ministerio Ecclesiastico summa cum laude functus, tandem ad Bredanos translatus, ultimum ibi diem clausit A.* MDXCII. Godefredus *noster, Nicolai primogenitus, prima literarum tyrocinia Ultrajecti posuit, Rectore doctissimo Theologo & Graecarum literarum callentissimo* Joanne Arcerio Theodoreto, *Jamblichi aliorumque librorum editione claro, qui optimum discipulum retinuit usque ad Annum* MDLXXXVII. *quo Arcerius Ordinum Frisiae diplomate ad Professionem Graecae Linguae vocatus fuit. Hic deinde Sopingium, in Academiam Franequeranam missum, in aedes suas recepit, quo tempore in iisdem degebat, praeter alios, Isaacius Pontanus, Harderovicenus postea Professor, cum quibus politiores literas, & Graecas praesertim, Criticesque studium summo opere, privatisque exercitiis mutuis, prosequutus est. Tandem serio animum ad Theologiae studium adplicare instituit sub Cl. Professoribus Martino Lydio, Henrico Antonio, & Sibrando Lubberto, Hebraicae linguae non exiguam pariter operam, duce Cl.* Jo. Drusio, (*quem laudat in Hesych. ad v.* Ἀδάμα) *impendens, eo profectu, ut ex Hebraica Veritate centenis aliquot locis versionem vernaculam marginalibus notis emendaverit. Sic inclarescens, ad Ecclesiam Tjerquerdensem A.* MDXCV. *vocatus, biennio post ad alias translatus, missis praeterea vocationibus diversis, Anno demum* MDCIV. *ad Ecclesiam Bolsverdanam, quod olim excusarat, migravit; cui per annos XIII. summa cum prudentiae, pietatis, modestiaeque laude, pacis amantissimus* (*ut eruditionis & facundiae dotes sileam*) *praefuit; saepius praeterea in gravissimis Ecclesiarum negotiis, qua publicis* (*vid.* Praefat. Act. Synod. Dordr. *p.* 22.) *qua privatis adhibitus. Alia praetereo. Anno* MDCXIV. *post obitum Henrici Antonii, una cum Joanne Bogermanno, Leovardianae Ecclesiae Ministro, ad cathedram Theologicam Franequeranam vocatus fuit. Qua de re G. J. Vossius ad H. Grotium in* Epist. inedita (*inter* Monumenta *Academiae nostrae* Papenbroekiana) 23. Octob. 1614. *scribit:* Nudius quinctus a vetere quodam discipulo literas Franekerâ accepi, quibus significat, Bogermannum & Sopingium munus Professionis publicae suscepisse, quod hactenus recusasse dicebantur. *&c. Sed ut erat cunctator natura, & cui cauta potius consilia cum ratione, quam properata ex casu placebant, quantumvis ab omnis ordinis hominibus efflagitatus,*

ab

ab Eccleſia tamen Bolſverdana ſe dimoveri paſſus non eſt; ubi tandem per febriles paroxyſmos debellatus, qui nunquam antea decubuerat, vitam praeclare actam cum morte placida commutavit A. MDCXV. *ult. Novembr. hora quarta matutina, quum vixiſſet annos* XLII. *menſes* 2. *dies* 14. *cujus temporis dimidiam partem in Eccleſiaſtico munere abſolverat. Ita notatum vidi in Albo (ut vocant) Amicorum Godeſchalci AEltii, cui locum* I. Tim. I. 15. Sopingius ex morbo languidus, *A.* 1615. 23. *Novembr. adſcripſerat; eamque* noviſſimam Collegae optimi ſcripturam *fuiſſe monet Rev. AEltius: quam memoriae cauſſa mecum ſervo. Nihil publici unquam juris fecit Noſter, quamvis plurima ipſi ſupperent. Varia tamen reliquit ſcripta, tum abſoluta, tum adfecta, quae in tres claſſes diſtincta amicis nuncupavit.* Polemica, *ut vocant, ſive de controverſiis fidei & religionis, Cl. Sibrando Lubberto, & in Eccleſia Bolſverdana Collegae Godeſchalco AEltio (deinde Arenacenſis Eccleſiae Miniſtro) tradi mandavit, ut, ſi videretur, emendarent & in lucem ederent. AEltii iſtius opera itaque prodiit* G. Sopingii Apologetica Reſponſio ad Libellum Anonymum, qui vocatur Bona fides Sibr. Lubberti, *&c. Franek.* 1616. 4. *cui opuſculo praemittitur illa, quam ſequuti ſumus,* Epiſtola. *Cetera manſerunt inedita.* Dogmatica *ſcripta (in quibus etiam* Notationes variae ad loca S. Script.) *fratri Adolpho Sopingio, Miniſtro Longerhouvenſi, legavit.* Critica *vero, Animadverſiones & Emendationes veterum Auctorum, Sibrando Siccamae tradi voluit, veteris & conſtantis amicitiae monumentum; quum & mutuam in iis operam praeſtitiſſent, neque digniori heredi (qui ut vivo, ſic morienti praeſens adhaeſit) commendari poſſent, variis eruditionis quoque non vulgaris teſtimoniis claro, utpote cui libellum* de Judicio Centumvirali, *(a Cel. Graevio* Theſauro Antiq. Rom. *T. II. p.* 1823. *inſertum)* & Commentarium in Faſtos Kalendares Romanorum, *item* de Veteri Anno Romano Romuli & Numae Pomp. Antitheſes (Tom. VIII. Theſ. Ant. Rom. *p.* 33. & 81. *quod in* Catalogo *illius* Theſauri *confuſe exhibetur ſub nomine* Sexti Rufi) *nec non* in antiquas Friſiorum Leges Notas *debemus. Inter* Sopingiana *Anecdota fuerunt, teſte eodem herede,* (1.) Caſtigationes in aliquot libros Jamblichi, & ſeparatim Notae in librum Jamblichi de Vita Pythagorae, & Protrepticon ejuſdem. (2.) Chorographia Atticae regionis, & Urbis Athenarum. (3.) HESYCHIANARUM LECTIONUM, ſive EMENDATIONUM IN HESYCHIUM libri tres, abſoluti. (4.) Obſervationum & Emendationum libri aliquot, ſed indigeſti. (5.) Notae in Sidonium Apollinarem, *abſolutae, & Sibrando Siccamae dedicatae.* (6.) Notae & Emendationes in Gloſſas Iſidori. (7.) Notae ad Euſtathium Grammaticum. (8.) Catalogus Fabularum Comicarum & Tragicarum, *breve opuſculum, ſed inſigne. Ex his abunde patet, qualis quantuſque fuerit G. Sopingius, in ipſo aetatis flore, tot moliminibus nobili, exſtincTus; cujus memoriae hanc recenſionem, Lectori forte non ingratam, debere nolui. Utinam praecipua & ſelectiora dediſſet orbi literato Siccama, vel* tres *ſaltim illos abſolutos* Lectionum Heſychianarum libros, *qui num interierint, an lateant alibi, reſciſcere nullo modo licuit! Lubens crediderim,* Sopingianas ſchedas *plurimas* tumultuario, & plane ſine ordine & methodo, ſcriptas fuiſſe, *ut ipſe Sibr. Siccama teſtatur* Epiſt. CLIII. *ad Jo. Iſ. Pontanum* (Syllog Epiſt. *A. Matthaei, p.* 403.) *addens:* & quae vix ab aliquo expoliri poſſe ſpes eſt, ut Sopingianum nomen tueri poſſint apud poſteros, *&c. Conf.* Epiſt. CLXXIII. *ad Eund. p.* 454. *Quod tamen de omnibus non aeque dici poſſe exiſtimem, nedum de abſolutis, quibus* Heſychium & Sidonium *illuſtravit. Addo ex eadem* Sylloge, Epiſt. CXXXIV. *p.* 362. *ubi ad Jo. Lydium Pontanus ille A.* MDCXXIX. *Harderv.* XI. *Kal. Novemb.* Fuit penes me quoque, ſed obiter inſpectus, Emendationum in idem (*Iſidori*) Gloſſarium libellus Godefridi noſtri Sopingii MStus. Sed eum poſtea ad ſe recepit, cujus is erat, ὁ μαχαίτης Sibrandus

†† †† ††

dus Siccama. Nec dubito eundem, ut & alia Sopingii, praeſertim *NB.* ejus in Heſychium Obſervationes, etiamnum reperies apud Siccamae viduam aut heredes Bolſwardiae. *Poſteriores autem curas fuiſſe eas, & ipſis adeo Notis, quas damus, Sopingii marginalibus meliores, non dubito. Paſſim etiam eo remittit nos Auctor, tanquam ad opus plenius. Sic* Notas *ſuas in Heſychium laudat ad v.* Ἀσάμενον, (*poſt* Ἀσπιδῶν) *& v.* Ἀσεφγάλη. *&c.* Lectiones, *ad v.* Ἀηδόνα· *earumque* Lib. II. cap. 27. *ad v.* Αἰλότροπον· Lib. I. cap. 33. *ad v.* Ἕξαλλα· Lib. III. cap. 2. *ad v.* Δαιδάλεια, *& ſaepius ita. Conf. ad v.* Ἀλαμέωνα, Ἀπάγελος, Βοτροιδία, Δεκάδρομοι, Θαλέτας, Θεμερόπις - - - - ἀγχόνη. *&c. Sic* Obſervat. lib. I. *citat ad v.* Ἀρτὰς, Adverſaria *ſua* pag. 196. *ad v.* Ἀναγκοφαγεῖν, *eorumque* pag. 291. *ad v.* Διαγόρευε, *&* Collectanea, pag. 307. *ad v.* Ἀπήχαμες, Symmictorum *denique ſuorum* paginam 115. *ad v.* Ἐφώδιον. *Addo numeros, ut illarum chartarum moles quodam modo percipiatur. Sed & alia plura citat, etiam ea, quorum* Indiculum *paullo ante dedimus. Ex. gr.* Sidonii *ſui meminit ad v.* Βαῦγας, *&* Notarum *ſuarum ad* Jamblichum, *in v.* Οἰκέα, *quod omiſſum in Ed. Schrev. Sic* ad Sirachidem Notas *ſuas* (*ſilente Schrev.*) *laudat in v.* Κατὰ τὸ κέμμα (*poſt v.* Καταζεύω, *quod interpretatione carens diſtinguendum, ut in Ed. Hagen.*) *& ad* Pindarum, *in v.* Πελλήν, *ad* Heſiodum, *in v.* Ἀλέα, *item ad* Athenaeum (*ut ſaepius Nicandri Fragmenta caſtigavit*) *in v.* Ἀκανθα. *Atque ita ſine dubio Veteres Auctores plurimos, Graecos & Latinos* (*ut fieri ſolet*) *marginalibus notis illuſtravit: unde in P. Francii* Catalog. *p.* 143. *n.* 1000. *exſtat* Nonni Paraphraſis *Gr. Lat. Leidae* 1589. 8. *in quo* multa emendavit Sopingius. *Habeo & ipſe* Anton. Liberalis, Phlegontis Tralliani, Apollonii *&* Antigoni *Opuſcula, quibus* M. Antoninus de Vita ſua *ſubjicitur, Edit. Gr. Lat. Argentin.* 1590. 8. *a Sopingio variis Notis MSS. ornata, unde quaſdam ad Heſychium emendationes etiam protuli. Praeterea* Fungerus (*qui Leovardienſi Gymnaſio ea aetate praefuit*) *ad Heſych. v.* Ἀκαχίαγος Sopingii Quaeſita per Epiſtolam *citat; ut & ad v.* Ἀμφωξίς, *aut verius ad v.* Ἀμφῶπε. *Idem ad v.* Ἀπάνθρωπος (*ubi Sophoclei dramatis corruptiſſimum nomen*) Sopingium *laudans*, Virum *eum adpellat* in hujuſmodi reſtituendis admodum ſagacem. *Exſtat etiam G. Sopingii ad J. Iſ. Pontanum* Epiſtola (*in* A. Matthaei Syllog. *n.* CLXIX. *p.* 442.) de Herba Britannica, & unde haec ita dicta; *unde ſequentia deſcribam:* „ In *Heſychio* noſtro quaedam Celtica vocabula olim offendi, quae „ data occaſione colligam, & tibi mittam. De *Britannica* mihi ſuggeſſit a„ micus noſter vir doctus *D. Doctor Sibrandus Siccama*, qui noſtrae Reip. „ a Secretis, &c. „

Quod autem juvenis admodum acceſſerit ad Heſychium Sopingius, plurimorum itaque annorum curis emaculatum, inde colligo, quod in exemplari, quo uſus eſt, nomini ſuo adjecerit Annum 1589. 18. April. *adeoque* XVI^mum. *annum agens.*

Sopingii Codicem jam olim ad editionem, quam moliri videbatur Cl. Theologus Chriſtianus Schotanus, *adhibitum fuiſſe, didici ex G. J. Voſſii ad J. A. van der Linden* Epiſtola (*inter Voſſianas* num. CCCCXI. *p.* 375.) *ubi tranſmiſſo Filii ſui Is. Voſſii Heſychio, addidit A.* CIↃIↃCXLI. *haec verba:* „ Interea nihil impedit, quo minus *Cl. Schotanus* adnotet, quaecunque ſibi „ ex *veteris amici mei Sopingii Codice* uſui eſſe poſſint. „ *Conf.* Epiſt. *ad eundem* CCCXCIII. *&* DXXXVI.

Ex eo tempore ad Schrevelium, *poſtquam ille manum operi admoviſſet, devenit hic theſaurus, eodem forte* Lindano, *vel* Coccejo (*ut videtur*) *ſuppeditante, qui Franequerae primum, dein Lugduni Batavorum Collegae, eandem quoque editionem promoverunt non tantum, ſed & Notis aliquibus in locis ornarunt; quin & poſt fata Schrevelii Cl.* Coccejum, *&* J. F. Gronovium (*quorum nomina titulo libri inſerta*) *ulteriorem editionis curam ſuſcepiſſe, mox dicam.*

dicam. Duobus *autem* Sopingii exemplaribus *uſum ſe ſatetur in* Praefat. *Schrevelius. Alterum quid continuerit, aut quo evaſerit, ignoro. Alterum vero, quavis pagina* Notis Sopingii MStis *locupletiſſimum, quodque omnia quae Schrevelius dedit, multoque plura exhibet, penes J. F. Gronovium remanſiſſe ab eo tempore videtur, atque ita tandem ex Paterna Bibliotheca perveniſſe ad Cl.* Abrahamum Gronovium, *qui ſumma cum cura & laude hodie Publicae noſtrae Bibliothecae praeeſt, in re literaria meritis ſuis nobile nomen conſequutus, mihique amiciſſimus, qui & ſponte idem illud Sopingii exemplar, qua eſt humanitate, mihi obtulit, quum ad v.* Ἀποσῖναι *perveniſſem; pro quo ingenti beneficio gratias ago habeoque maximas. Quod autem ſe obſervaſſe monet Celeb. J. C. Wolfius* Praef. *ad* Tom. IV. Anecdot. Graec. „ *annotationes* Sopingii, *a Schrevelio publicatas, cum* Florentis *illis* [*in* Tomo *iſto* „ IV.] *frequenter convenire, etiam quod ad verba,* „ *non intelligo, neque exemplum ad v.* Σπαραμοειδὴς, *quod adfert, id evincit, ubi auctor, ſub litera* V. *latens, (ut ſaepius) ad verbum deſcripſit Notam penultimam ex Florentis* Notis *ad Ariſtoph.* Pac. *vſ.* 869. *Ultimum illud,* „ Vide *in* Ἀνακύκλων, „ *tantum eſt* Sopingii. *Hactenus de* Sopingio.

§. VII. *JO. COCCEJI Notae, etſi rariores, quomodo acceſſerint, ex modo dictis liquet; qui tamen jam ab initio operis inprimendi, cum Gronovio, quaſdam Schrevelio Notas ſuppeditaſſe videtur. Saepius Vir ille ſummus latet ſub litera* C, *ut antea monui. Quod autem poſt obitum Schrevelii Cl.* Coccejus *hanc editionem promoverit, patet ex ipſius* Epiſt. CXVI. (*ad calcem* Tom. VI. Opp. Cocceji) 29. Mart. *A.* 1665. *ad Jo. Martinum, Ven. A. Trommii Socerum, data:* „ Interim (*ait*) urgebat Hippocrates, cujus „ curam mihi reliquerat D. Lindanus p. m. & *Heſychius*, quem Schrevelius p. m. inceperat edere. „ *Poſtea hanc curam proſequutus eſt Magnus ille* §. VIII. *JO. FR. GRONOVIUS, cujus binc inde adparent, parcius alibi, alibi frequentiores emendationes, praeſertim in poſteriori operis parte, ubi res melius quoque geri & adcuratius coepit. Vid. J. F. Gronovii ad Nic. Heinſium* Epiſt. CCCCIV. (*in* Syllog. Burmann. *T. III. p.* 517.) *Sic ibi A.* 1665. „ Id carum qualecumque (*Bibliothecae ſcil. ipſi creditae*) depoſitum „ dum recenſeo, dum per *Cocceji* valetudinem *Heſychio* Hackiano *&c.* oculos commodo, *&c.* „ *Et* ibid. Epiſt. CCCCXII. *p.* 529. *A.* 1667. *refert:* „ Nec deſinit Rufus (*i. e. Hackius*) *Heſychii* ſui (bis deſtituti, primum *morte Schrevelii*, poſtea *morbo Cocceji*, etiam poſtquam is convaluit) unumquodque folium miſſitare. „

IX. *TAN. FABRI nomen ultimo expreſſit Schrevelius, qui* Notas *quaſdam ex ipſius Codice protulit, adcuratius & plenius deinde in ejuſdem* Epiſtolis (*praeſertim* L. II. Ep. 19.) *repetitas; quas verbo tenus contuli, & ſequutus ſum: quod facere neglexerant,* Schrevelius & Verwejus. *Sagaciſſimi ingenii & acuminis ſingularis Criticum, ſaepe vero audaciorem quam feliciorem, norunt omnes. De quo Viro recte judicavit Nic. Heinſius in* Syllog. Epiſt. Burm. *T. V. p.* 294.

§. X. *Alios, quorum nomina* ſeriei Auctorum *quibus uſus eſt inſeruit, tranſeo. Sunt nempe ex* H. Stephano (*cujus etiam Codicem, eundem forte, quem deinde* Verwejus, *id eſt, Franequeranum, adhibuiſſe videtur Schrevelius*) *Salmaſio, Caſaubono, Barthio, Meurſio, Turnebo,* (Adverſar. *A.* 1581. Ed. Baſil.) *Bocharto,* Suicero (*de quo inſerius copioſe*) *aliiſque Criticis, collectae obſervationes quaedam, ſic tamen ut multo plures, vel ex iiſdem, additerim. Verbo autem de* Fungero & Hillio *dicendum, quorum nomina comparent.*

§. XI. *JOANNES FUNGERUS, Leovardienſis Friſius* (*cujus praeter alia exſtat* Etymologicum Latinum, *Francofurti A.* 1605. 8. & *Lugd.* 1658. 4. *editum*) *non vulgaris eruditionis ac diligentiae laudem meritus, a* S. Siccama

de Centumvirali Judicio *l. II. c.* 2. *qui integro ſeptennio ipſo praeceptore uſus erat, deſcribitur ut* doctiſſimus, & non modo Graecae Linguae, ſed omnis politioris literaturae, Hiſtoriarum & Antiquitatum vere peritiſſimus, Jurium & Medicinae Doctor, Scholaeque Leoverdianae Rector vigilantiſſimus. *Neque tamen Vir ille ſerio quidem de Heſychio emendando cogitaſſe videtur, ſed in privatos tantum uſus nonnulla Codici ſuo adſcripſiſſe. Hinc leviora paſſim ſub ejus nomine occurrunt, nec pauca quae ad verbum ex Caſauboni* Animadv. *in Athen. vel aliunde depromta ſunt, prout inter legendum ea notaverat. Quare operam in iis ex autographo de novo relegendis & deſcribendis conſumere nolui, quae leviora eſſe renunciatum mihi erat, & ex ſpecimine patebat.* Fungeri Codicem *Aldinum ſervat etiam nunc Friſiorum Academiae Franequeranae Bibliotheca, quem cum aliis* Ampliſſimi Senatus permiſſu Cl. Jac. Perizonium, iſtius *eo tempore* Rectorem Magnificum, ſibi peramanter ſubminiſtraſſe *teſtatur* Verwejus in *Specimine olim edito Heſychianae ſuae Editionis; qui varia inde deſcripſerat, noſtrae nunc Editioni inſerta.*

§. XII. *Nec majoris momenti, immo & minoris ſunt, quae* JOSEPHUS (*non* Joſua) *HILL, Anglus, adjecit, in ſuos quoque tantum, ut videtur, uſus. Paſſim enim deſcripſit H. Stephani* Indicem Theſauri Gr. L. *cum ipſis etiam vitiis: ut ad v.* Ἀνάφελος, *ubi Homeri* Il. Σ. *pro* Odyſſ. Z. *errore dederat Stephanus, & ex eo Hillius, ſequente Schrevelio. Praeterea Stephani explicationem aliquando pro emendatione accepit: ut in v.* Αὐθύπαρκτον, αὐτοϋπαρκτον, *pro quo H. Steph. non corrigit* αὐθυπόστατον, *ſed expoſitionis cauſſa vocem eam adjecit; ut liquet.* Binos Hillii Codices *habuiſſe Cl.* Verwejum, *indicat ejus* Nota *ad v.* Ἀκηθίας. *Quae ipſe inter chartas ſuas reliquit Hilliana, pauciſſima certe, retinui.*

SECTIO II.

De Subſidiis VERWEJI.

Pergo ad VERWEJANA, quae primam Editionis ſuſcipiendae anſam mihi praebuerunt; quum ſeculo ſuperiori Jo. Verwey, Dan. Heinſii & Henr. Valeſii *Notis impetratis, quas ſuis & aliorum augeret, novae Editioni ſeſe adcinxerit, interveniente fato praepeditus. Hiſtoria haec eſt.*

§. I. *V. Cl. JOANNES VERWEY* (*ſive, ut ipſe aliquando ſcripſit, PHORBAEUS*) *Magni Graevii diſcipulus, tertianos primum Delphis docens, inde ad Gaudani Gymnaſii regimen vocatus eſt A.* 1678. (*Vid. Thom. Munckeri ad Nic. Heinſ.* Epiſt. 344. Tom. V. Syll. Burmann. *p.* 402. *conf.* Tom. II. *p.* 829. & Tom. IV. *p.* 455.) *hinc autem Hagam Comitum, ubi Scholis praefectus,* Lectoris publici & Gymnaſii Hagani Inſpectoris *titulo* (*quem nomini ſuo adſcripſit ipſe*) *clarus fuit. Graecae linguae peritiam ejus* Nova via docendi Graeca *teſtatur. Ei Celeb. Graevius a Nicolao Heinſio Editiones Heſychii Aldinam & Hagenoënſem impetraverat, in quarum marginibus & chartis inſertis DANIEL HEINSIUS Notas plurimas & emendationes ſcripſerat, quibus deſcribendis operam impendit Verwejus, Delphis* (*ut in fronte notavit*) *orſus, finemque huic labori fecit* X. *Kal. Septembr. A.* 1679. *Qua de re ipſe in* Specimine *novae Editionis* ſub init. *Et Cel. J. G. Graevius A.* 1679. 8. *Febr. Nic. Heinſio* Epiſt. 517. Tom. IV. Syll. Burm. *p.* 581. Phorbaeo calcar ſubdam, quamvis non egeat calcari. Quicquid temporis ſuffurari poteſt laboribus, quos capit ingentes in formandis ſibi creditis pueris, id tuo tribuit Heſychio; de hoc dies noctesque ſomniat. Sed tamen faces flagranti jam deſiderio hunc librum publicandi ſubmovebo, ut, quantum poteſt, feſtinet. *Conf. ejuſdem* Tomi Epiſt. 421. *p.* 495. Epiſt.

piſt. 536. *p.* 597. & Epiſt. 554. *p.* 611. & 613. *Mutuae praeterea Epiſtolae Nic. Heinſii & J. Phorbaei hac de re leguntur ſex, in eadem* Syllog. Tom. II. *p.* 829.—835. *Alibi ſaepius ejuſdem mentio; ut* Tom. IV. *p.* 570. 578. *&c. Ante Verwejum autem manus huic operi admoturum ſe promiſerat ANTONIUS BYNAEUS; ut patet ex* Epiſt. *Graevii ad Nic Heinſ.* 294. *p.* 371. Tom. IV. & Ep. 305. *p.* 386. Ep. 316. *p.* 395. *coll.* Ep. 315. *p.* 394. (*quae Heinſii eſt*) Ep. 364. *p.* 441. & *deinde. Verum hic aliis curis implicitus, & operis etiam difficultatem ſentiens, deſtitit a propoſito: atque ita ad* Verwejum *delatus labor eſt; ut patet ex Graevii* Epiſt. 379. *p.* 455.

§. II. *Ceterum Heinſianis ab eo deſcriptis acceſſerunt HENRICI VALESII,* τοῦ πάνυ, *notationes in hunc Lexicographum, a Graevio poſtea ſubminiſtratae Verwejo, qui A.* 1689. *Hagae ſequentia in chartarum ſuarum fronte notavit:* „ Codex Valeſianus, apud Aldum impreſſus. *Guilielmus Prou-* „ *ſteau*, Anteceſſor Aurelianenſis, librum commodaverat & commendaverat „ Cl. Graevio A. 1689. ut manus Proſtelli oſtendit. „ *Idem in* Specimine *Heſychianae Editionis teſtatus eſt, ad v.* Ἀβάκητον: „ Maximi hujus Viri Codi- „ cem Heſychianum, plurimis locis emendatum, Lutetiaque allatum nuper „ mihi miſit ſeculi lumen J. G. Graevius, *&c.*„ *Protractus itaque eſt theſaurus hic ex eodem angulo cum Harpocratione Valeſii; de quo A.* 1679. *Cl. Graevius ad Nic. Heinſium, in* Syllog. Burmann. Tom. IV. Epiſt. 560. *p.* 617. „ Ille (*Hadrianus Valeſius*) de fratris (*Henrici*) annotationibus in Harpo- „ crationem benigne promittit. Nam *Pruſtellus, Anteceſſor Aurelianenſis,* „ qui hanc bibliothecam emit a vidua, expugnatus a Nublaeo fidem dedit tan- „ dem, ſe *Horpocrationem Valeſii* Lutetiam miſſurum, ut inde ad nos per- „ feratur, ſi caveatur, ut ſalvum ſibi remittatur Valeſianum exemplar, & ut „ Notae illae ſeparatim edantur.„ *Conf.* Epiſt. 644. *p.* 686. & *ſeqq. De ipſo autem* Henr. Valeſio, *maximo ſane Viro, non opus eſt ut verbum addam, quem nemo ignorat paullo humanior, quum & Fratris vitam deſcripſerit Hadrianus Valeſius, Regius pariter Hiſtoriographus, nuper cum ejus* Emendationibus *&c. denuo editam a Cl. P. Burmanno Jun.* Notarum *ſuarum in* Heſychium *ipſe meminit Henr. Valeſius* Not. in Notas Mauſſac. *ad Harpocrat. v.* Ἡγεῖτο πῆχυς, *ut monui ad v.* Βάτα Κάρυς, *p.* 703. *n.* 5. *eaſdemque a Cl.* Kuſtero *inſpectas eſſe patet ex ejus* Not. *ad Heſych. v.* Ἐγχάρη, *p.* 1474. *n.* 8. & *p.* 1475. *n.* 5. *Hodiedum enim Pariſiis eaſdem ſupereſſe, ex Amicorum literis certo intellexi. Conf.* Epiſt. *Cll. VV. Sevini & Sallerii, poſt* Praefat. *Harum itaque deſcriptionem* abſolvit Verwejus d. 29. Maji, 1691. *ut ipſe notat, adeoque XII. fere annis poſt deſcripta Heinſiana.*

§. III. *Interim varios quoque aliorum Doctorum, ſive ineditas, ſive editas caſtigationes collegit, quae paſſim vel latebant, vel per eorum ſcripta ſparſae ſunt. De quo Graevius ad Nic. Heinſium* Tom. IV. Syll. Burm. p. 679. Tibi quoque nunciari vult (*Phorbaeus*) ſe totum eſſe in convectanda variorum meſſe in Heſychium. *Sic omnia tandem prelo parabat, novum antea laborem, minus neceſſarium, ſibi inponens, quo ipſum Heſychii Textum in ſumma pagina; in media Danielis Heinſii, quas antea ſeparatim deſcripſerat ipſe; in infima Schrevelii & Variorum Notas, quibus ſuas (quamvis parciſſime) inſeruerat, deſcribi ſimul curavit ab* Othone Verbrugge, *diſciplinae ejus tum temporis, ut reſcivi, alumno, poſtea Theologiae apud Groninganos Profeſſore digniſſimo. Hinc mora identidem producta, quum opus ita in ordinem redactum eſſet uſque ad v.* Ἀνάῤῥησις, *in* extr. pag. 92. Ed. Schrev. *mors Cl. Verwejii A.* CIↃIↃCCI. *interveniens conatus illos omnes abrupit.*

§. IV. „ *Poſt hujus obitum theſaurus ille in manus Cl.* Pancratii Maeſvi- „ cii *venit, qui ei per totos XXVIII. incubuit, neque ulli, certe non mi-* „ *hi, illius videndi poteſtatem facere voluit.* „ *Ita ad me olim perſcripſit Vir*

†† †† †† †

Ce-

Celeb. C. A. Dukerus. *Hoc quoque A.* CIↃIↃCCXIX. *defuncto, Vir Nobiliſſ.* Joannes Bogaerdus, *Avunculi ſui Verweji heres, JCtus, & Trajecti ad Rhenum Canonicus ad S. Mariae, eumdem, opera potiſſimum Cel. Dukeri, ab heredibus Maeſvicianis recuperavit. Ab eo autem,* (*dum viveret, A.* CIↃIↃCCXXIX.) *intercedente Cl.* Jo. Corn. de Pauw, *a vigilantiſſimo Librario* Sam. Luchtmans *non exiguo pretio redemtus, mihique traditus eſt, quando de nova hac Editione curanda rogatus ſum. Peropportune vero ut poſtea ipſius* D. Heinſii autographum *ad me pervenerit, apographo vitioſe ſaepius deſcripto longiſſime praeferendum, in ſequentibus narrabo; ubi & de* Valeſiano apographo *alio, quem contuli.*

§. V. *Sed & undique aliorum Notas editas & ineditas collegiſſe Verwejum ſupra dixi, quas chartis puris, Heſychiano exemplo inſertis, adjecerat. Ineditae, quas inveni, pauciores fuerunt. Huc pertinent Codices* Henr. Stephani (*Hagen. Ed.*) & Jo. Fungeri (*Ed. Ald.*) *quibus Notas ſuas alleverant, ex Bibliotheca Franequerana Verwejo ſubminiſtrati. De FUNGERO paullo ante dixi; cujus inedita, tum a Schrevelio, tum a Verwejo allata recepi. H. STEPHANI Notas, ab iiſdem Viris exſcriptas, retinui pariter. Has autem omnes fere, quae alicujus momenti ſint, ab ipſo Stephano* (*ex libri hujus margine ſorſan*) *curatius in* Gr. Ling. Theſaurum, *ejuſque praeſertim* Indicem, *relatas vidi. Praeterea ex ſpecimine luculento ſatis, a Cl.* Valkenario *inde deſcripto, cognovi, integram illius Codicis recognitionem operae pretium minime laturam, quum & OEdipum non raro manus Stephani intricatiſſima & vix legenda requireret; quod & olim mihi ſignificaverat Cl.* Weſſelingius.

§. VI. *Majoris momenti eſt PALMERII commentarius autographus, quem cum* Verwejo (*ut hic teſtatur in* Specim. Heſych. *p.* 3. ad v. Ἀ. ζωντες) „ *pro ſingulari humanitate communicavit Vir omni doctrina & elegan-* „ *tia conſummatus* Joannes [*immo* Stephanus] Morinus, *Avunculi ſui haeres* „ *puto, qui quidem nunc ſanctas Literas profitetur apud Amſtelodamenſes.* „ *De Cl.* Morino, *Palmerii ἀνέκδοτα ſervante, teſtatur Cl. Th. J. ab Almeloveen in* Dedicat. Epigrammatum & Poëmatum *ſuorum. Et notum eſt, Morinum Palmerii* Graeciam Antiquam, *praemiſſa Auctoris* Vita, *publici feciſſe juris*, mirabile illud XX. annorum opus, *ut Jac. Moſanti Brioſii verbis utar in* Epiſt. *ad Palmer. p.* 126. *ubi & ejus* in Heſychium Notas *laudat. Hunc autem Verwejo theſaurum impetraverat Cl. Almelovenius; ut didici ex* Epiſtola inedita *Jo. Verweji ad eum ſcripta pridie Kal Maj.* 1689. *quam mecum communicavit Cl.* P. Burmannus, Jun. *Sic in ea Verwejus:* „ Amo te plurimum, Almeloveni doctiſſime, de opera tua mihi humanita- „ te ſingulari, ſtudio, & induſtria minime vulgari navata, cum feciſti mi- „ hi copiam *Palmeriani Codicis MS. in Heſychium*, cujus equidem do- „ mino *Morino V. Cl.* per libellum gratias egi. Multa jam oſcitanter ex- „ ſcripta Schrevelio notavi. Quod ſi mihi tuas obſervationes mittere, ubi „ erit commodum, vel forte aliquando *Sladum* hortari dignaberis, ut mecum „ *Guieti* exemplar communicare ſtudeat, *&c.* „ *De his ſupra jam monui ex* Catalogo *Muſei Franciani p.* 196. *Interim Palmerii commentarium cum editis a Schrevelio Notis nondum contulerat, certe non deſcripſerat Verwejus: unde quum in non nullis aliquando haererem, integris etiam Notis aliquando* Palmerii *nomen, omiſſum, eſſe ſubjiciendum ſuſpicarer, felici admodum fato Palmerianum autographum ante hoc biennium incidit in manus Cl.* P. Burmanni, Jun. *qui cum maxime literas humaniores Amſtelaedami egregie ornans, pro ſingulari ſua humanitate eodem me ſponte beavit; quod publice gratiſſimus adgnoſco beneficium.*

§. VII. *Anno ſcil.* 1743. *Ultrajecti pleraque Almelovenii ſcrinia ſibi comparaverat Vir Cl. ex ſupellectile literaria defuncti Venerandi & doctiſſimi Vi-*

Viri Henrici Sypeſteynii, *Doornenſis in Agro Trajectino Eccleſiae Moderatoris, cui omnia manu Almelovenii ſcripta, ſuprema ejus voluntate (vid. Cl. Burmann.* Praefat. *ad Quinctilian.) obtigerant, pro amicitia inter eos artiſſime olim culta, &* Amoenitatibus Theologico-Philologicis, *Sypeſteinio inſcriptis, conſpicua; quibus ſubjecto* Plagiariorum *Syllabo accedit etiam hujus* Henrici à Sypeſteyn de Plagiariis Epiſtola ad Cl. Virum Th. J. ab Almeloveen, Amicum veterem. *Verum haec Heſychiana delituerant apud H. Sypeſteinii Fratrem, Amſtelaedami habitantem, qui ab hiſce literis alienus, quum audiviſſet Cl. Burmannum Ultrajecti cetera Almeloveniana redemiſſe, ultro ipſi haec cum multis aliis obtulit, ac parvo aere eidem ceſſit. Quo ἐφάμιλλο mox nec opinantem me beavit amiciſſimus Burmannus,* Ipſis Idibus Juniis A. 1743. *quum operae perveniſſent ad v.* Ἐπήκοος, pag. 1335. *Inde enim in ſequentibus Palmerii autographum ſequutus ſum, ſuperiora plurima omiſſa cum aliis daturus volente Deo, in* Addendis *ad calcem totius operis. Scripſerat* Emendationes & Notas *eas* ad Heſychii Lexicon *Palmerius medio ſeculo praecedenti, adjecto ad calcem* Anno 1651. *Sed* Praefationem *deinde brevem & gravem, optimo ſene dignam, addiderat* VI. Kal. Mart. A. 1658. *quo tempore ad Schrevelium miſſae videntur. Eam infra inter* Anecdota *varia exhibemus. Ipſe Notarum ſuarum ad Schrevelium miſſarum meminit* Exercitat. in opt. Auct. Graecos, *p.* 482. *cujus operis* Praefatio *cum hac ad Heſychium Praefatione convenit in initio. Eaſdem Notas a Cl. Theologo Palatino* Joan. Ludov. Fabricio *ſibi olim promiſſas eſſe teſtatur Cl.* Jo. Caſp. Suicerus *in* Epiſtola inedita, *ad calcem hujus Praefationis cum aliis publicanda. Uſus autem fuit Palmerius Edit. Hagenoënſi; quod ex variis locis jam perſpexeram. Vide tantum ad v.* Ἐπιφερομένους, Ζαγρεύς, *&c.*

§. VIII. *Reſtant* Arcerii, Rulaei *&* Munkeri *Codices, a Verwejo praeterea adhibiti. Priorum Notae rariores ſunt; frequentiores Munkeri; quas Verwejano Codici adſcriptas retinui.*

De JO. ARCERIO THEODORETO, Sopingii Doctore quondam & Hoſpite, ſupra mentio facta; qui & Heſychii ἐκδοσιν *olim molitus eſt, adjutus Iſaaci Voſſii Codice: ut patet ex G. J. Voſſii* Epiſt. 414. *ad Cl. Arcerium, p.* 377. Ed. Lond.

§. IX. *Arcerii Codicem deinde nactus videtur RULAEUS, ut colligo ex Verweji* Not. *ad v.* Αἶσα, *p.* 171. *Quiſnam autem fuerit, utrum PHILIPPUS (ut puto) an EVALDUS RULAEUS, ambo Graecarum Latinarumque literarum peritiſſimi, & ad eas promovendas itineribus nobiles, neque ſuis praenomunibus ſaepe in Epiſtolis Virorum Eruditorum diſtincti, liquido adſeverare non auſim. Jam inde ab initio ſuperioris ſeculi* Rulaeorum *nomina Eccleſiaſticis apud Batavos muneribus inclaruerunt. Hi vero, quos laudavi, Harlemenſes erant,* Joannis *filii, qui Miniſter ibidem Eccleſiae obiit A.* 1676. *Filius ejus* Philippus, *A.* 1672. *Nobiliſſ. Paetſio, hujus Reipublicae Legato in Hiſpaniam a Sacris, redux deinde, poſtquam Italiam perluſtraſſet, &* ἀνέκδοτα *varia ex Vaticana & Florentina Bibliotheca deſcripſiſſet, in Harlemi vicinia Velſanus Eccleſiaſtes obiit, A.* 1677. *de quo ſuperſtes ipſi Frater* Evaldus Rulaeus *in* Epiſtola inedita *ad Cl. Jacob. Gronovium data A. D.* VIII. *Kal. Septemb.* CIↃIↃCLXXVII. (*quam mecum communicavit* Cl. Abrah. Gronovius) *ita perſcripſit:* „ Ut ejus doloris, qui me paene „ confecit, inſcius eſſes, committere nolui, praeſertim cum ſciam exiſti„ maturum te, ad te etiam pertinere. Ah! Gronovi, ille *meus*, imo & „ ille tuus *frater* obiit, atque illum jam vigeſimo hujus menſis (*Auguſti*) „ die extulimus, adeo neque ullis ſapientiae & eruditionis praeceptis adver„ ſus mortem pectus eſt ſatis munitum *&c.* Jam morti vicinus *&c.* - - - - „ Tui etiam tunc ut hominis ei amiciſſimi, memoria obverſabatur animo „ ejus, voluitque ut *Goltzii Graeciam*, niſi aliunde eum librum jam tibi

„ comparaſſes, ſupremum morientis munus haberes, & illam *Origenis* Φι-
„ λοσοφουμένων partem, quae apud ipſum erat. *&c.* „ *Hujus etiam meminit Cl. Jac. Gronovius ad Origen.* Philoſoph. *p.* 278. de Xenophane, (Tom. X. Theſ. Antiq. Graec.) *n.* 4. *& pluribus in* Praefat. II. *ad Pompon. Melam, unde merita illius Viri cognoſces. Ejuſdem mentio in literis Gisb. Cuperi* Tom. II. Syll. Burm. *p.* 733. *& in literis J. G. Graevii* Tom. IV. *p.* 243. *De* Evaldo *enim* Rulaeo, *quod ex* Philippi *fratris anno emortuali colligitur, intelligendae ſunt in eadem* Sylloge *variae Epiſtolae Graevii*, Tom. IV. *p.* 601. 625. 626. 703. 724. *&c. Et ipſius Evaldi ad Nic. Heinſium Pariſiis atque Harlemo datae tres Epiſtolae habentur* Tom. II. *p.* 835.–837. *Utriuſque Rulaei pluribus etiam meminit Cl. Graevius* Epiſt. 14. *ad Marq. Gudium, p.* 49. 50. Ed. Burm.

§. X. *Denique* THOMAE MUNCKERI *Heſychio uſus eſt Cl. Verwejus, omnibus etiam notiſſimi. Saepius Vir ille doctiſſimus Heſychium tum ex antiquis Scholiis Graecis, tum maxime ex Graecis Bibliis emendavit in* Notis *ad Anton. Liberalem c.* VI. *p.* 48.–51. *coll. p.* 80. 81. *etſi variis in locis ab Abr. Berkelio notatus; ibidemque* (*p.* 51.) *ſpem novae Lexicographi editionis aliquam fecit, ut & ſup. monui*, Cap. IV. §. 9. *p.* XVI. *Mutato deinde conſilio Codex ejus, marginalibus notis adſperſus, ad Verwejum venit, cujus apographum initio ſequutus ſum. Parum provectus eundem mihi Codicem benigne ſubminiſtravit doctiſſimus Juvenis* Jacobus Van De Pol, *Amſtelaedamenſis, nunc verbi Divini in tractu Enchuſano Interpres, & meliori ſorte digniſſimus. Omnia itaque recognovi, & ex autographo exhibui.*

§. XI. *Ceterum* Verwejus, *quamvis illis praeſidiis, egregiis ſane, munitus, non ea praeſtiterat* (*praeſiſcine dixerim*) *quae exſpectari forte potuerunt, ſive aliis curis nimium impeditus, ſive fati intercedentis violentia. Notae ipſius, ſi primi ſolii* Specimen, *noſtrae Editioni inſertum, excipias, pauciſſimae ſunt, &, ut verum dicam, verboſiores. Vide tantum ad initium hujus operis, item ad v.* Ἀμάμπλις, Ἀραπίζει, Ἀραπῶ, *&c. Ut male citantes aliquando alios etiam reprehendit, quum tamen in Auctore laudato exſtaret; cujuſmodi illud eſt, quod ad v.* Βελόπτις *reperies. Conf. ad v.* Θεσσαλόν, *& quae ibi notavi. Omiſit praeterea D. Heinſii Notas interdum, in adverſa paginae parte ſcriptas; ut in v.* Ἀγὸς, Αὐλῶπις, *&c. De variis apographi Verwejani vitiis, praeſertim in Scriptorum veterum nominibus &c. compluſcula dici poſſent: ſed abſtineo. Quod autem non nunquam ſeriem Gloſſarum in Heſychio refingere conatus ſit, & ad Alphabeti ordinem ſtrictius componere* (*adi tantum loca in principio ſtatim Lexici, & in v.* Ἀβαχήμων, *&c. &c.*) *Criticorum adſenſum non obtinebit, qui ejuſmodi plura tractarunt: quamquam & Iſaacus Voſſius alibi, ut in v.* Ἀγαθόν, *p.* 30. *v.* Ἀγά, *p.* 38. *&c. idem tentaſſe videatur, ſed alia de cauſſa forte, ut infra dicam. Non ignoro, Tho. Stanlejum ad AEſchyl.* Agamemn. *vſ.* 235. literarum ordinis Heſychium obſervantiſſimum *ſtatuere; quod Phavorino jure majori convenit. Quin & D. Heinſius ad v.* Βόλωθον *p.* 739. literarum ordinem ſedulo, niſi ubi corruptus eſt, obſervare Heſychium *ſcripſit. Idem ſenſit Ill.* Rich. Bentlejus; *ut ex* Epiſtola *ejus* inedita, *quam dedi, liquet. Nondum tamen id adeo liquidum eſſe, paſſim in ipſo opere deprehendes; idque pro more Lexicographorum Graecorum, quos non ſemper anxie illam ſeriem obſervaſſe conſtat. Inſpiciantur Etymologus, Suidas, alii. Quidquid tandem ejus rei ſit, non ita ſaltim adcurate digeſtum ad nos pervenit Lexicon; adeoque nobis omnia ſic refingere nunc quidem non videtur licitum: plane alius enim prodiret tandem Heſychius.*

SEC-

SECTIO III.

De ceteris ſubſidiis hujus noſtrae Editionis.

Hactenus *de SCHREVELII & VERWEJI ſubſidiis, quibus hanc Editionem quoque ornavi. Propius ad illa nunc veniendum, quibus praeterea uſus ſum, inedita pleraque, & variis in oris delitescentia.*

§. I. *Ut uno obtutu ea, tanquam in tabella, videas, ex antea recenſitis tantum in memoriam prius revocabo, me cum* autographis *contuliſſe* H. Junii, Joſ. Scaligeri, Palmerii, Sopingii, & Munkeri *Notas & emendationes; ceteras, de quibus egi, Schrevelii & Verweji fide a me receptas eſſe. Quod tamen, de ineditis* D. Heinſii & H. Valeſii *non aeque dixerim. Quum enim in initio operis verſarer, apographi Verwejani vitia pertaeſus, autographi autem, inter Heinſiana forte alibi delitescentis, nulla impetrandi ſpes eſſet, qui etiam, ſi daretur, ob fugientes & exeſas literas legi non poſſe credebatur, peropportune paullo poſt, ſub finem menſis Maji* 1731. *in auctione publica Leidae offendi Heſychii Lexicon*, cum multis MSS. Viri doctiſſ. *ut Catalogus indicabat, nullo auctoris indicio facto; quo inſpecto, laetus adgnovi DAN. HEINSII manum & Codicem, quem deſcripſerat Verwejus, mihique gratulatus illud ἕρμαιον, exiguo aere redemi, deprehendique hoc ipſum exemplar (Editionis Hagenoënſis) poſteriores Heinſii curas continere, notaſque uberiores & meliores, ſic ut pauciſſimae praeter illas, ex Aldino codice deſcriptae, in Verweji apographo (quo carere facile tum potuiſſem) legerentur, & leviſſimi momenti, hic paſſim emendatius etiam repetitae. Itaque ab initio omnia ſedulo contuli, & deinde ipſam Heinſii manum ubique expreſſi, miratus tam difficilem hunc laborem aliis olim viſum ſuiſſe. Has autem* Heinſii *Notas inſpexiſſe aliquando videtur* AEgid. Menagius, *ut colligo ex Kuſteri* Nota *ad Heſych. v.* Βάκας. *Interjecto tempore (A.* 1735.) *in ſupellectile literaria Cl.* Jo. Clerici *diſtrahenda perluſtrabam inedita MSS. quae ad Anthologiam Graecam pertinebant, inter quae videbam Ill. Huetii ad eam Notas, a Graevio quondam laudatas* (Epiſt. *ad* Francium, *inter hujus* Poſthuma, *p.* 434. *conf. Huet.* Epiſt. *ibid., p.* 446.) *& A.* 1700. *editas ad calcem* Poëmatum *Huetii. Iisdem chartis porro adjectum vidi apographum Notarum Heſychianarum HENR. VALESII, at ſine literarum ordine alphabetico, multis praeterea lacunis relictis, ex difficiliori Auctoris manu ſine dubio natis, quam & Verwejus expertus erat, ſaepius etiam haerens. Haec pariter omnia de novo contuli, ſenſum inde non raro pleniorem adſequutus: quae enim in utroque apographo tam corrupte proſtabant, ut quid ſibi vellent exputari non poſſet, ea, licet pauciora, omittere ſatius duxi, ne quid Maximi Viri nomini mea culpa detraheretur. Codicem illum cum ceteris ad Anthologiam veterem ſpectantibus ſibi vindicavit V. Cl. & nobis amiciſſimus J. P. D'Orville, quo nemo majorem hodie ex omnibus undique Bibliothecarum ſorulis ad novam Anthologiae Editionem collectum adparatum poſſidet.*

§. II. *Aliquando FRANCISCI JUNII mentionem feci, cujus exemplar Hagenoënſe in Biblioth. Lugd. Bat. p.* 281. *n.* 163. *habetur. Pauciſſimae ſunt notae; paſſim autem parallela Heſychii loca numeris deſignavit; quod inſtitutum utiliſſimum norunt Docti: quare ea dudum methodo integrum perluſtravi Gloſſarium Heſychianum.*

§. III. *In eadem Bibliotheca* l. c. num. 204. *Aldina Editio adparet, Notis plurimis MSS. THOMAE BRUNONIS, Canonici Windeſorienſis eruditiſſimi, &* alterius *aliquando* Viri Docti, *inſtructa. Codex ille ex Bibliotheca Viri Ill. Iſaaci Voſſii venit. Vide* Codd. MSS. *&c.* If. Voſſii *in Catalogo* MStorum Angliae & Hiberniae, Tom. II. *p.* 70. *n.* 2686. 14. *Ex*

eo Codice Graecas quaſdam notas hauſiſſe Schrevelium, ſuperius monui, Cap. III. §. IV. *n. 9. p.* XIII. Lindanum *eodem quoque uſum fuiſſe ſuſpicor ex ejus* Not. *ad v.* Βόπαλοι, *quam totidem verbis* Bruno *dederat; niſi ipſe fuerit* alter *ille* Vir Doctus; *quod ſcire potuit Schrevelius. Integrum librum contuli, & ſub nomine* Brunonis, *vel interdum* Codicis Brunoniani (*quia pauca Anonymi inſerta ſunt*) *laudare ſoleo. Neque tamen Bruno ſemper corrigere Heſychium voluit, ubi diverſam lectionem adjecit, ſed ex Phavorino ſaepius eam adſcripſit tantum. Ejuſdem* Brunonis Adverſaria MSS. *aliquando laudavi, quae ex Bibliotheca Remonſtrantium Amſtelaedami evolvere licuit, beneficio Cl. Jo. Jac. Wetſtenii, cui plura debeo. In illis* Adverſariis, *minoris voluminis forma, citare Brunonem videbam ſuum* Νεοχώριον *MS. qui Codex, in forma majori, Alphabetice exhibet Indicem Geographicum locorum, quorum mentio eſt apud mediae aetatis aut Byzantinae maxime hiſtoriae Scriptores, ex quibus collecta loca magnum uſum praeſtare queant in his verſanti: mihi vero ad Heſychium, quod ſperaveram, nihil inde emolumenti acceſſit.* Menologium MS. *in iiſdem* Adverſariis *citat, &* Heſychium ſuum MS. *Bruno, ut ad v.* Ἀποκρατηλίζει *monui: at neutrum vidi; poſterius autem collectanea in Heſychium indicare puto, quum MS. Heſychii Codex nuſquam detur. De quo infra.*

§. IV. *Inſigne deinde A.* 1733. *incrementum cepit adparatus meus Heſychianus acceſſione Codicis IS. VOSSII, quem poſſeſſor Ampliſſimus* Lambertus Henr. Emmen, *Civitatis Groninganae Senator, & variis in Re publica muneribus conſpicuus, a Patre, ejuſdem Civitatis Conſule graviſſimo, ſibi relictum, pro veteri amicitia (rem promovente Clar. Theologo* Hermanno Venema, *Amico ſingulari) benigne mihi conceſſit ad Editionem novam ornandam; quibus uti par eſt, gratias proin maximas ago. Utinam aliquando ex ejuſdem Viri Ampliſſ. Bibliotheca prodirent* Ptolemaei Geographica, Manilius, Martialis, *aliaque plura, optimis* If. Voſſii *notis & collationibus inſtructa, quae vidi Groningae penes Cl.* Abr. Buning; *Gymnaſiarcham doctiſſimum, ex liberali Viri Ampliſſ. dono gazas eas nunc poſſidentem! Sed ad* Heſychium Voſſianum *redeo. Sunt notae ineditae, in marginem Schrevelianae Editionis conjectae; unde eas A.* 1694. *deſcribere Senator* Voſſius *coeperat etiam, ut vidi in chartis miſcellaneis, quas ſervat Bibliotheca Remonſtrantium Amſtelaedami, a me tunc obiter conlatis. Codicis illius, ad Cl.* Chriſtianum Schotanum & Arcerium, *novam ἔκδοσιν cogitantes, olim miſſi, frequens mentio eſt in* Epiſtolis *G. J. Voſſii, jam ſupra* Cap. IV. §. IV. *p.* XV. *allatis.*

§. V. *Bonarum rerum theſaurum continere hunc Codicem, nemo dubitet, qui magni Parentis Filium magnum noverit, reconditarum literarum & ſolertis ingenii acumine praeditiſſimum virum. Non tantum Heſychium ſtudioſiſſime cum Heſychio paſſim contulerat, ut ex conlatis locis (quae optima emendandi via) corrupta reſtitueret; ſed non pauca ex ineditis protulit Grammaticis vetuſtis & Gloſſariis,* Cyrillo *maxime (quem ſervat Bibliotheca noſtra publica)* Ariſtarchi *Canonibus,* Theodoſii *Epitome Herodiani, (vid. in v.* Ἀμοργίς, Γάντα, *&c.)* Arcadio Grammatico, *aliiſque bene multis, quos omnes recenſere non lubet. In hoc tamen Viro, ſi in ullo alio, probe diſcernendum, qua valuerit parte, qua contra defecerit. Saepius enim Heſychium ipſi tentatum invita fuiſſe Minerva, quantumvis etiam rebus aliis excelluerit, nemo diffitebitur, ſi loca relegat. Ne vero temeritatis & audaciae notam contraham, meae quippe tenuitatis probe conſcius, & cum tanto Viro nulla ratione comparandus, ſummum potius Virum & acutiſſimum ingeniorum judicem* Tib. Hemſterhuſium *audiamus, qui Voſſiano Codice evoluto, & cum uberrima annotationum ſuarum uſura, quae ſuis locis exhibentur, mihi reddito, haec ſimul perſcripſit:* „ *Hic omnis* If. Voſſii *velut animi conformatio ac ſtudiorum curſus apertiſſime* „ *nobis patuit. In iis, quae ad ejus formam ingenii atque eruditionis conve-* „ *niebant, ſanandis acumen inſigne & opera minime vulgaris; neque tam plu-*

„ *ri-*

„ rimis, quae pridem obſervaveram, occupatis doleo, quam magni Viri eon-
„ ſenſu laetor. In aliis haud ſane paucis, ubi vel animo ferebatur ad inuſita-
„ tum aliquid fingendum, quo vitio laboraſſe Voſſium non ignoras, vel accu-
„ ratior quaedam Graecae proprietatis cognitio requirebatur, frequenter defe-
„ cit, neque deſtinatum ferire potuit. Nonnunquam rectum emendandi iter in-
„ greſſus, antequam ad finem perveniat atque inſtitutum beneficium abſolvat,
„ ſubito conſiſtit, ac ſpem attenti lectoris fruſtratur. Sunt quaedam ejuſmo-
„ di, ut, quid ſpectaverit, vix poſſit animadverti, niſi quis in eadem inciderit
„ cogitandi veſtigia. Verum haec cuncta ne tu me gratis dixiſſe arbitreris,
„ exemplis erit agendum. „ &c.

§. VI. *Unum praeterea monendum, per integrum opus ordinem alphabeti-
cum preſſe ſequi voluiſſe Voſſium; unde vocabulorum ſeriem paſſim non muta-
vit tantum, ſed ipſa vocabula ad illam normam exacte componere ſtuduit, a-
deoque voces notiſſimas non raro ſic refinxit, ut inauditae Graecis fierent au-
ribus. Id quod omnis pagina docebit: cujuſmodi plura tamen omiſi, quae nul-
lius uſus erant, Lectorique taedium facerent, & quiſque ex ordine poſſet co-
gitare. Solus enim literarum ordo in Heſychio corrigendo dux infidelior eſt,
niſi omnia cetera faveant, & quando fontes adire non liceat veriores. De quo
p.* XXVIII. *etiam monui. Fieri etiam potuit, ut in privatos uſus tantum ad
literarum ſeriem omnia reduxerit, periculum facturus quid inde commodi redun-
daret; vel eo forſan animo, ut facilius citare & quaerere deinde voces poſſet,
quae alienam ſedem aut locum remotiorem occupant. Quum enim ad prelum pa-
ratae non fuerint, ſed in libri marginem duntaxat conjectae Notae, prout oc-
caſio ferret, neque limam Auctoris unquam expertae ſint, cujus conſilium ita-
que non patet, excuſandus potius Vir maximus, quam ut inde aliquid meritiſ-
ſimis laudibus ejus detrahatur. Diſtinguent ſemper cordatiores poſthuma talia
adverſaria ab abſolutis & elaboratis commentationibus. Quod & de ceteris e-
juſmodi ſubſidiis dictum velim.*

§. VII. *Prius quam Voſſium dimittam, celare nolim, iſtum librum aliquan-
do (neſcio quo caſu) in* Abrah. Berkelii *manibus verſatum videri. Hujus enim
Heſychium a poſſeſſore Cel. Hemſterhuſio noſtro dum utendum rogarem, ſigni-
ficabat Vir amiciſſimus,* „ *univerſas Berkelii notulas, ſi pauculas eaſque nul-
„ lius pretii exceperis, quae ad Stephanum pertinent, in hoc Voſſiano Codi-
„ ce reperiri; idque in Voſſianis evolvendis ſe ſenſiſſe.*„ *Miratus primum, rem
ita ſe habere comperi. Obſervavi enim (ut plura mittam) Hemſterhuſioque no-
ſtro oſtendi, ad v.* Ἀρχαιρεσιάζειν Voſſium *ea ſcripſiſſe, quae ex* Berkelio, *toti-
dem verbis & literis, jam olim prodidit Vir Cl. ad Polluc. VIII. 82. p. 904.
n. 70. Conf. eund. ad l. IX. 27. p. 994. n. 37.*

§. VIII. *JOANNIS VITI PERGERI Notas in Heſychium ineditas
Cel.* J. A. Fabricius, ὁ Μακρέτης *(quum mentionem earum feciſſet in* Bibl. Gr.
Vol. IV. *p. 553. partemque edidiſſet Rev. J. C. Wolfius in* Anecdot. Graec.
Tom. IV. *p. 172. ſeqq.) pro inſigni benevolentia, quam toties expertus celebro,
mecum omnes communicavit; ut olim in* Gloſſarii N. T. *Dedicatione profeſſus
ſum.* „De Pergero nihil ab eruditis traditum invenio,„ *inquit Cl. Wolfius in*
Praefat. *ad T. IV.* Anecdot. Gr. *Inveni ejus mentionem in literis Cl.* Chriſto-
phori Arnoldi *A. 1679. Norimb. datis ad Nic. Heinſium, in* Syllog. Burm.
T. V. p. 346. „Phorbaeum (*inquit*) *ea collegiſſe audio, quae beatiſſimus Pa-
„ rens tuus haud pauca in Heſychii Lexico obſervavit illuſtranda. Statim re-
„ cordatio ſubiit,* Jo. Vitum Pergerum, *hominem doctiſſimum, ſed in obſcuro
„* Thuringiae *angulo* Ilmenavii *degentem, anno ſuperiore* Pricaei Indicem Scri-
„ ptorum, *qui in Heſychii Vocabulario laudantur, oſtendiſſe mihi, diligenter a
„ ſe recognitum: praeterea* Annotationes ſuas *ad Schrevelianam illius Editio-
„ nem, in quibus* aſteriſco *notavit, quid rejiciat;* cruce, *quid ipſe nondum al-
„ latum afferat. Verbo: Graecus & inops is eſt, cujus admiranda eruditio pro-*

„ *motoribus caret.*„ *Sed propius ante hoc fere triennium mihi literis humaniſſimis indicavit Cl.* Dan. Wilh. Trillerus, „ ipſum opus autographum Obſervationum & Emendationum in Heſychii Lexicon, a Viro Graece doctiſſimo atque rei Criticae peritiſſimo, *Jo. Vito Pergero*, ante hos LXX. „ & quod excurrit annos, magno ſtudio, induſtria & felicitate elaboratum, „ ingens ſane volumen in fol. ut vocant, *penes ſe eſſe, tranſmiſſum a Profeſſore quodam Lipſienſi celeberrimo: inſtitutaque collatione, ſibi patuiſſe*, genuinum *hoc* atque plenum Obſervationum Pergerianarum volumen autographum *eſſe; Viros autem Summos*, Fabricium & Wolfium, levia ſaltim „ ex eodem excerpta, atque mutilum mancumque quoddam ὑπομνημάτιον habuiſſe, locupletiorem autem theſaurum ad Profeſſoris iſtius Lipſienſis manus, ſecundo quodam caſu, perveniſſe.„ *Interim de novo omnia illa recognoſcere nec vacabat, nec lubuit; tum quod nihil a Cel. Fabricio monitus, ipſius exemplar per totum opus ſequutus hactenus ſueram; tum maxime, quod in plurimis Pergerianis* ἀναχῶν *iſtam Criticam deſiderarem, quae praecipua ejuſmodi commentationum dos eſt: id quod ſalvis aliorum judiciis dixerim. Meritas enim laudes Viro diligentiſſimo non denego, qui vario tempore natas conjecturas ſibi tantum notaverat, non in publicum uſum paratas. Adtulit ſane bona non pauca, ſed cum diſcrimine ſeligenda: paſſim tamen, quo erat ingenio, nimis argutari ſolet, & neſcio quibus ſubtilitatum nebulis ſaepe numero lectorem illuſum fruſtratur. Vide tantum ad v.* Ἀγαῤῥάπτῃ, *v.* Βαλοιτήσαρον, *& infinitis aliis in locis.*

§. IX. *Q. SEPTIMII FLORENTIS CHRISTIANI, Viri egregii, Notulas marginales, quas ipſe olim manu minus luculenta, & oculos paſſim fugiente, Editioni Aldinae alleverat, ex* Tom. IV. Anecdotorum Graec. *Cl. Wolfii repetii, una cum Notis Viri inſignis EDUARDI BERNARDI, quibus Editionem ille Schrevelianam, Biblioth. Bodlejanae* (*n.* 76.) *legatam, ornaverat. Quaſdam harum pleniores deinde me nactum eſſe ex Galliis, inſerius monebo. Non raro* Florens *ad Ariſtophanem eadem dederat:* Bernardus *autem ut plurimum in peregrinis vocibus illuſtrandis, lociſque Sacris ex Verſione Graeca comparandis verſatur.*

§. X. *Lubens nunc accedo ad nobiliſſimum illud* κειμήλιον, *quo praeſtantius nihil fere inveni; LUDOLPHI nempe KUSTERI Notas Heſychianas, ad prelum paratas, & eo animo conſcriptas: ut maximo quidem opere doleamus, per fata non licuiſſe Critico praeſtantiſſimo pulchram quam exorſus erat telam pertexere, abruptam in principio literae* Θ, *ad v.* Θήλαντ, *pro* Θήσαντ, *p.* 1711. *noſtrae Edit. Etenim poſt profligatum Suidae Lexicon, ſerio tandem de Heſychio, Grammaticorum principe, quod dudum in votis ſuit omnium Eruditorum, cogitare coepit Kuſterus, novamque ejus editionem Pariſiis adornare; quando ſeptem prioribus Literis, & quod excurrit, illuſtratis, morte* (*ut dixi*) *praeventus eſt. Mox operis curam ſuſceperunt eximii Viri, FRANCISCUS SEVIN & CLAUDIUS SALLIER, Academiae Regiae Inſcriptionum & Literarum elegantiorum Socii digniſſimi* (*vid.* Hiſtor. Academiae *illius T. III. p.* 56.) *qui pro ſumma peritia ſua, & inprobo labore, luculentam nobis editionem praeſtitiſſent, niſi plurimis rebus aliis occupati, tandem illud mutaſſent conſilium. Nihil itaque mihi magis in votis erat, quam ut eas Kuſteri chartas impetrare aliquando liceret. Feliciter rem promovit Cl.* Jo. Jac. Wetſtenius, *& per adgnatum ſuum Wetſtenium, celebrem Librarium, Pariſiis tum forte morantem, theſaurum illum* αὐτόγραφον *in mei gratiam obtinuit, delatumque in manus mihi tradidit, die* 8. Martii, 1736. *quum jam perveniſſem ad v.* Ἐπ πόνῳ. *Quod inſigne beneficium grata mente adgnoſco publice & praedico; incredibilem Duumvirorum illorum laudatiſſimorum comitatem in primis veneratus, qui tanta facilitate me voti compotem fecerunt, neque Cl. Kuſteri chartas duntaxat, quas rogaveram, ſed & alia, quae deinde dicam, ſubſidia*

fidia ſponte mihi ſubminiſtrarunt, meque omni modo demereri non ceſſarunt. Quod enim ſuas non addiderint adnotationes, quoniam ultima manus iis admota non erat, nimia Illorum modeſtia fecit; etſi nullus dubito, quin optima quaeque ab ipſis exſpectanda fuiſſent. Ita certe cogitare me juſſit in primis Epiſtola, *olim cum* Specimine Heſychiano *ipſis Kal. Jul.* 1720. *quum editionem maxime urgerent, ad Cel.* J. A. Fabricium *Hamburgenſem data, & ab eodem communicata mecum, qua totius operis rationem & conſpectum exhibuerant. Eam bona cum venia (ut ſpero) cum aliis* Anecdotis *infra producam, quandoquidem non pauca ſcitu digna continet, & Heſychium terere cupientibus utiliſſima.*

Quum vero partem operis non contemnendam abſolviſſem, quando primum ad me perlatae ſunt Kuſteri chartae, binc ſuperiora ab initio (ut alia plura) current prelo, ſuis locis, qua poſſem commodiſſima ratione, inſerere coactus fui, ut omnes prorſus Kuſteri *Notas proferrem, uſque ad* pag. 1255. *deinde reliqua ordine ſtatim exhibens.*

§. XI. *Neque hic ſubſtitit Virorum Cll.* Sevini & Sallerii *benevola juvandi voluntas, & in Literas amor. Ab eo enim tempore ſua ſponte varia mihi ſedulo conquirentes, duo obtinuerunt Heſychii exempla Edit. Hagenoënſis, ex Bibliotheca Nob. ac Celeb. Viri* Joannis Aſtruc, *Regi a Conſiliis Medicis, Archiatri Auguſti II. (glor. mem.) Poloniarum Regis, S. R. I. Elect. & Duc. Saxon. Medici Ordinarii, Sereniſſ. Principis Ducis Aurelianenſis, & in Regio Franciae Collegio Profeſſoris Medici, cujus inſignem benevolentiam hic gratus praedico. Alterum exemplum fuerat PHIL. JAC. MAUSSACI, Viri Eruditiſſimi, qui varia ad marginem notaverat: alterum V. C. SAMUELIS SORBERII, qui forte illud a* Guyeto *acceperat, vel* Bigotio. *Ex priori omnia adtuli, quae alicujus momenti viderentur. Poſterius pauciora quidem ſuppeditabat: id tamen praecipuum, quod inde tandem detegere licuerit, quid ſibi vellet MS. Schrevelii; ut ſupra de Schrevelii Editione agens* (Cap. III. *p.* XIII. *n.* 9.) *pluribus indicavi. Interdum cum* Salmaſio *faciunt, quae hic notata vidi. Videtur autem Sorberianus ille Codex aliquando fuiſſe penes* Iſaacum Voſſium, *cujus manum hic illic agnovi, maxime in Arcadii & Apollonii Grammaticorum citationibus. Quam ſuſpicionem confirmabat, quod ad v.* Σαῤδαναπαλλᾶ, ἀλλοιᾶ, *ſcriptum invenerim:* „ Frater „ Ger. aldδια. „ *Ita vero* Gerard. Voſſius, *Iſaaci frater, ad Vellej. Paterc. I. 6. emendavit.*

§. XII. *Una cum his duobus exemplaribus iidem Viri amiciſſimi ex Bibliotheca vere Regia impetrarunt ſpiſſum volumen, continens* Lexicon Graecum MS. (*quod* Lexicon Regium MS. *vocare ſoleo*) *in* 4. *ut dici ſolet, formae majoris; quod per aliquot menſes mihi benigne conceſſum, juxta cum ceteris modo laudatis Heſychii exemplis, accepi A.* 1738. 18. Febr.

Illud autem meo nomine recepit curavitque humaniſſime Vir literis & genere nobiliſſimus, Joſephus de Bimard La Baſtie, *Baro Montis Seleuci, cujus amicitiam, ſerio exinde cultam, ſed praematuro fato interceptam, primus mihi conciliaverat Celeberrimus* Jac. Phil. D'Orville: *quod gratus etiam hic verbo ſignificare debui. Lexicon illud e vetuſto Principis Valachiae Codice quam nitidiſſime deſcriptum, Regii Cimelii pars eſt non contemnenda; initio tamen & fine mutilum, paucis deficientibus. Complectitur paginas* 742. *idemque eſſe, quod Nobil. Cangio laudatur in* Gloſſario Med. & inf. Graecitatis, *nomine* Cod. Reg. 2062. *collegi ex locis comparatis in v.* Διαίρτως, Καινίκιος, Ὁλλάμων, Σαγμοσίλιος, *&c. quae ad apicem conveniunt: maxime autem profuturum deprehendi, ſi quis* Suidam *cum eo conferret, cum quo paſſim, ad verbum, conſentit, ut & ſaepius cum* Etymologo; *ne de* S. Codicis

†† †† †† †† †

lo-

locis plurimis, a me excerptis, & alibi producendis, nunc dicam. Huic autem Lexico MS. ſaepius laudati Viri adjecerant chartas varias, & Schedas minores quae penes Eos latebant, quin & apud Kuſterum fuerant ex parte. Sunt autem ſequentes:

1. Specimen ipſorum (Sevini & Sallerii) MS., *quod olim cum Cl. Fabricio communicaverant. Citavi nomine* Speciminis Pariſienſis, *vel* Doctorum Pariſienſium.

2. Anonymi *collectanea ex variis, quibus Auctor ille ignotus* (Anonymi *titulo tantum laudatus*) *ex propria penu pauca addiderat.*

3. *Notae quaedam* Eduardi Bernardi, *pleniores quam quas in* Anecdotis Graecis *ediderat* Wolfius. *Deſinunt autem in litera* Σ.

4. Συλλογὴ Emendationum (*deſinens in v.* Αἶνον) *ex* Cod. MS. Grabiano XXI. *quas deſcripſerat* M. C. *id eſt, ni fallor,* Magnus Cruſius, *Vir Rev. & eruditiſſimus. In fine enim manu Cl. Sallierii memoratur* D. Cruze, qui colligendis priorum Eccleſiae Seculorum Patrum fragmentis operam navat, & has Emendationes dedit A. 1727. *Ejuſdem* Magni Cruſii, *Sleſvicenſis, exſtat* Diſſertatio Epiſtolica ad Reverendiſſ. Chriſtian. Wormium de Scriptis quibuſdam integris Fragmentiſque hactenus ineditis, *Lipſ.* 1728. 4. *quae in itinere literario ipſi obtigerant, in lucem publicam* (*utinam fieret!*) *protrahenda.*

5. Emendationes & Notae ad Heſych. *in quatuor priores Literas, maxime ex Gloſſario MS.* Goldaſtino, *i. e.* Cyrilli Lexico Bibliothecae Bremenſis, *quod olim* Goldaſti *fuerat. Eas in initio operis vocavi* Schedas Anonymi. *At deinde, quod ſuſpicabar, verum eſſe comperi, illarum nempe auctorem eſſe Rev.* Jo. Chriſt. Biel, *qui reliquas etiam Notas mecum communicavit, ut ſtatim dicam.*

6. Emendationes quaedam (*maxime ad Literam A*) *in Lexicon Heſychii, auctore* Stephano Joanne Stephanio, *Academiae Soranae Profeſſore celeberrimo, quas ſecundum exemplum Auctoris in Bibliotheca Illuſtriſſ. Viri* Pauli Vindingii *deſcripſerat Cl.* Matthias Ancherſenius, *Vir politiſſimus & humaniſſimus, Prof. Philoſophiae in Acad. Haſnienſi, & ad ſe miſſas ab eodem fuiſſe teſtatur Cl.* Kuſterus *in margine.*

7. Animadverſiones & Emendationes *in Heſychium* Stephani Clerici, *maxime ex Euripide & AEſchylo, adjectis paucis Cl.* Jo. Clerici, *qui cum Kuſtero eaſdem olim communicaverat. Conſtituunt unam tantum plagulam. Eas reſpicio, quando* Steph. Cleric. *nomen adpinxi; ne quis de* Henr. Steph. (*cujus nomen hic frequens eſt*) *cogitet, eumque cum* Clerici *praenomine confundat.*

8. Joſephi Waſſe *V. C. Epiſtola, Anglico idiomate data ad L. Kuſterum, ut puto. Subſcriptum erat:* Ayno„ 14. Auguſti, 1715. *Ex qua nonnulla etiam adduxi.*

Quae omnia ſingulatim refero, ne alicubi haereat Lector, dubius quid ſibi velint, aut unde ea repetita ſint; & ut candidum gratumque animum iis probarem, qui tot beneficiis me oneratum ſibi devinxerunt.

§. XIII. *Reſtant Notae & Emendationes Venerandi & Doctiſſimi Viri JOAN. CHRISTIANI BIEL, Brunſvicenſis Theologi, qui humaniſſimis me literis compellans, ſelectiores in Heſychium Obſervationes miſit, ex S. Codicis locis maxime, &* Cyrilli Lexico MS. Bremenſi, *quod ad* Melchior. Goldaſtum Haiminsfeldium *olim pertinuit, depromtas. Jam pridem* Hēſychium Sacrum *edere decreverat Vir eruditus, cujus meminit Celeb. Hadr. Reland.* Palaeſt. *L. III. p.* 1016. *Specimen quoque ante hos* XXX. *annos ediderat, inſcriptum:* „ΗΣΥΧΙΟΣ ΙΕΡΟΣ. HESYCHIUS SACER, *ſive* Gloſſae ex Heſychio Alexandrino, quae ad Voces & Phraſes Scripturae S.

„ ex-

„ explicandas, illuſtrandas facere poſſunt. Selegit, recenſuit, verſionem „ & notas, cum eruditiſſimorum hominum, tum proprias adjecit J. C. „ BIEL, Brunſv. „ *in* 4°. *continet octo paginas, quas etiam, pro inſtituti mei ratione, adhibui. Cyrilli autem MSti deſcriptionem dedit ipſe V. Cl. in* Praefat. *ad* Exercit. de Lignis Libani, *cui* Specimina Novi Theſauri Philologici, *ſive* Lexici in LXX. *&c. accedunt*, *Brunſv.* 1740. 4. *Idem* Notas *illas* Heſychianas, *de quibus paullo ante* n. 5. *dixi*, *ſuas eſſe mihi ſignificabat*, *Lutetiam olim ad Ill.* Bignonium, *magnum illum Eruditorum Maecenatem*, *miſſas*, *quibus ordine deinde reliquas adtexuit; addita tandem Viri Summi* Richardi Bentleji *Epiſtola*, *ad ſe data*, de Gloſſis Sacris in Heſychio ſpuriis & inſititiis, *cujus mentionem fecerat in* Biblioth. Bremenſ. Tom. IV. *p.* 903. *Hanc infra*, *poſt* Praefationes, *videbis. Unde non parum me debere Viro optimo*, ſelectiores *etiam mihi* notas *ex plurimis*, *quibus abundat*, *ſuppeditanti potius*, *grata mente publice profiteor: quas*, *utpote breviores*, *inſerui.*

§. XIV. *Alia plura ſuperſunt*, *inſuper a me adhibita.* (1.) *De* Jani Vlitii *Codice*, *quem ſervo*, *dixi ſuperius p. VII.* (2.) *Ampliſſ.* Gisberti Cuperi *Notulas marginales benigne mecum communicavit Vir Clar. & amiciſſimus* D'Orville, *qui ad officia quaevis ſe paratiſſimum ſemper praeſtitit: cui &* (3.) Joannis Buherii, *Viri Illuſtris*, *non nulla debemus. Idem* (4.) *Florentinam Heſychii Editionem poſſidet*, *cujus orae Vir Doctus pauca adleverat*, *quem voco* Anonymum in Cod. D'Orvilliano. (5.) Anonymum *alium* in Cod. Burm. *aliquoties laudo*, *notas marginales deſignans*, *quas Edit. Aldinae*, *a Celeb.* P. Burmanno *mihi ſuppeditatae*, *adſcripſerat Vir Doctus.* (6.) Marci Meibomii *Notas ex ipſius hauſi exemplo* (Ed. Schrev.) *quod eſt penes Cl.* Oudendorpium *noſtrum.* (7.) *Sub nomine* Anonymi, *vel* Viri Docti, *in* Cod. Wetſten. *non nunquam cito Notulas & emendationes*, *quae habentur in Aldina Heſychii & Pollucis Editione*, *quos uno volumine junctos Baſileae ſibi comparaverat Cl.* Jo. Jac. Wetſtenius, *cui altera manus recentior ignota; antiquior autem ſcriptura altera* Simonis Grynaei *videtur*, *Viri Eraſmo familiaris*, *& Graece doctiſſimi.* (8.) *Cel.* Hadr. Relandi *Codicem* (Ed. Hag.) *quem* Gerarto Falkenburgio ſuo Hieronymus Berchemius dono dederat *A.* 1574. *inſpiciendum mihi conceſſit Vir Rev.* Jac. Ferd. van Daverveld, *Trajectinus Eccleſiaſtes vigilantiſſimus; ſed pauciſſima continet*, *praeter Scholiorum Graecorum in Dionyſium Areopagitam ex Ed. Junt.* 1516. *collationem*, *quibus editis & ineditis dudum fueram uſus.* (8.) *Cl.* Almelovenii *praeterea* (*cujus ipſe meminit in* Epiſt. ad J. A. Fabric. *in hujus* Vita, *a Cl. Reimaro conſcripta*, *p.* 216.) *apud* Herm. Reiners; (9.) Pancratii Maeſvicii *apud* Roeland. van Thiel; *Eccleſiarum in Amſtelodamenſi tractu Paſtores dignisſimos*, *inſpicere licuit*, *in quibus exemplaribus*, *uno alterove loco laudatis*, *praeter citationes quaſdam recentiorum pauca dabantur. Alia ejuſmodi plura recenſere nil adtinet. Cl.* Jac. Rhenferdii *Codicem*, *notis quibuſdam marginalibus adſperſum* (*cujus mentio eſt in* Miſcell. Obſerv. *mox laudandis*, Vol. X. *p.* 333.) *videre nondum contigit.*

§. XV. *His tandem accedunt varia*, *undique vel ex editis* Criticorum libris, *vel ex* Amicorum Symbolis *conlecta*, *& quidem cum debita ſingulorum ubique mentione*, *ne quid mihi vindicarem quod meum non erat; contra facilius aliis relinquens quod & ipſe antea notaveram. Ita vero ex omnium* Criticorum *ſere* operibus *ea delibavi*, *locis indicatis*, *quae ad emendandum vel illuſtrandum Heſychium facerent; interque eos* H. Stephani Gr. L. Theſaurum *non tantum*, *ſed &* Indicem *contuli*, *in quo videtur ille Heſychium ſemper ob oculos habuiſſe*, *Editionem ſcil. Hagenoënſem*, *ut patet ex v.* Ἀρτέμεις, Ἀρτεμέσια, *&c. Inter nuperrimos acceſſerunt*, *tum Cl.* Georg. D'Arnaud, *in-*

maturo fato literis erepti, variae in editis opuſculis emendationes; tum quae in Miſcellaneis Obſervationibus, *Amſtelaedami ab aliquot annis, curante Cel. D'Orvillio noſtro, expoſita ſunt, interque eos maxime a Cl.* Abreſch, *Zwollani Gymnaſii Moderatore eruditiſſimo, qui & nonnulla praeterea ad me miſit; tum Cl.* Dan. Wilh. Trilleri, *Naſſaviorum Medici celeberrimi, quaedam ex* Obſerv. Crit. & Emend. Heſych. *editis, officioſe ad me allegatis; tum & Doct.* Jo. Jac. Reiskii, *qui varia eruditione conſpicuus, dum ſingula mecum folia muſtea recognoſceret, ſuas ſubinde conjecturas mihi ſubgeſſit. Recens a Cel.* Jo. Jenſio *editas* Lucubrationes Heſychianas *in poſtremis aliquando etiam adhibui: licet pleraque vel occupata, vel aliunde citata, & in primis Homeri loca, &c. a multis annis a me jam notata, parum prodeſſent. Ceterum ornant Editionem noſtram prae primis plurimae Summi* Hemſterhuſii *noſtri Notae, quas ex ampliſſimo reconditioris doctrinae penu mecum ſaepius communicare voluit Vir Amiciſſimus; ne alias nunc Clariſſimorum Amicorum,* Weſſelingii, Valkenarii, Wetſtenii, *&c. commemorem, ſuis locis inſertas: quibus omnibus gratum animum teſtor.*

SECTIO IV.

De Ratione inſtituti noſtri.

Reſtat, *ut addam,* qua ratione & methodo *in hac Editione uſus fuerim.*

§. I. *Sedulo* contuli *omnes* Editiones, *quum ad* MSS. Codices *recurrere non liceret, utpote nuſquam locorum hactenus (quod mirari liceat) repertos. Idem mihi adfirmavit rogatus Reverendiſſ.* Montfauconius. *Quid ſibi velit frequens illud* MS. *Schrevelii,* Cap. III. *dixi,* §. IV. n. 9. *p.* XIII. *Ab Eruditiſſ.* Tho. Brunone, *Windeſorienſi Canonico, ſuperius laudato, in* Adverſariis MSS. *citatum vidi* Heſychium *ſuum* MStum, *ad v.* Ἀποκαταπλῦσαι· *ſed nihil ultra cognovi; fuerintque forſan* Adnotationes *ipſius* Heſychianae, *ad oram exemplaris ſui, vel in unum quoddam volumen conjectae, quas citare in ſuum uſum ita ſoleret: ut ſupra monui. Vid. p.* XXX. §. III. *Jam olim ad Jo. Jac. Bardellonum, hujus Theſauri poſſeſſorem, Aldus in primae Editionis* Praefatione *ſcripſit de* Heſychio: „ *Quem cum* penes te tantum „ *eſſe duceres, & vere fortaſſe;* nemo enim eſt, quod ſciam, qui extare „ alium audiverit, *&c.*„ *Eundem autem Bardelloni Codicem MS. Venetiis ab eo tempore remanſiſſe putem, qui ante hos etiamnum annos apud Nobiliſſ.* Joan. Baptiſtam Recanatum, *Patricium Venetum (cui Poggii Bracciolini* Hiſtoriam Florentinam, *Venetiis* 1715. *editam, & T. VIII.* Theſ. Ital. *recuſam, debemus) viſus eſt a Cl.* D'Orvillio *noſtro, deinde in Theſaurum Codicum S. Marci relatus. Specimen illius* (Praefationem *nempe ad Eulogium, &* Literam Ξ) *redux ad me adtulit Vir Eximius, integram Codicis collationem inſtituturus, ſi aliud Heſychii exemplum Venetiis ſibi eo ipſo tempore comparare potuiſſet. Et contuliſſe forſan operae pretium foret; quamvis cum Aldina Editione maxime (paucis exceptis, ut ſuo loco monui) conſonum illud quidem Specimen deprehenderim, ut primam itaque Editionem ex hoc ipſo, qui Bardelloni fuerit, Codice expreſſam exiſtimem:* quamplurima *tamen* loca *a* M. Muſuro emendata *eſſe, teſtatur Aldus. Quare gratiſſimum literatis ſine dubio officium praeſtaret, qui iſtam collationis adcuratae operam ſuſciperet, huic noſtrae Editioni cum grata nominis celebratione*

ne

ne adjiciendam. Ceterum quando unicum *tantum Heſychii MStum reſtare ſcripſit* M. De La Roche *T. I. P. II.* Biblioth. Angl. *p.* 423. *Aldi quoque exemplar reſpici puto, quod Venetiis ille primum excudit.*

§. II. MStorum *defectum aliunde ergo ſuppliendum quodam modo cenſui, adhibitis* Lexicis & Gloſſariis *Graecis antiquioribus editis, & ineditis. Praeterquam enim quod* Phavorinus *interdum MSti vice eſt, quamvis cetera compilator minime adcuratus, non parum profuere paſſim, tum* Veteres Scholiaſtae *plurimi, ex quorum fontibus hauſta pleraque ſunt, tum ejuſdem cum Heſychio ordinis Scriptores,* Etymologus M., Suidas, & Gloſſographi minores; *ne de* Polluce *nunc dicam,* Euſtathio, *aliis. Non exiguam porro lucem & opem adtulerunt* Gloſſaria Graeca inedita, *inter quae tria maxime, vel quatuor, eminent, quae penes me ſunt.*

(1.) Primum *eſt, quod* Cyrilli *nomen praefert, a* Voſſiano *tamen, quod in Bibliotheca noſtra publica (praeter illud Oxonienſe in Bodlejana) ſervatur, & a* Bremenſi (*de quo* Sect. *praec.* §. XIII.) *diverſum, in fine etiam mutilum: definit enim in v.* Πολύτλας· *praecedit autem Fragmentum alterius cujuſdam Lexici Graeci MSti, eadem manu exarati.*

(2.) Alterum, *quum optime conveniat cum Voſſiano Codice laudato, ejuſdem* Cyrilli *eſſe videtur: ut paſſim diſcrepant iſtius Gloſſarii Codices. Quandoquidem enim ab initio mutilum eſt, & capite truncatum, incipiens a V.* Ε-κμαιμάνες, *nullum hic Auctoris nomen adparet, quem* Anonymum *propterea aliquando adpellavi. Utrumque olim Cel.* Abrah. Hinkelmanni, *Hamburgenſis, fuit, deinde* J. A. Fabricii, τοῦ πάνυ, *qui eorum quoque notitiam dedit in* Biblioth. Graec. Vol. X. *p.* 52. & 62. *ubi varia recenſet, poſteriori Codice contenta, ſimul inde* Lexicon Octateuchi *ſpeciminis loco proferens. Quae bina Gloſſaria antiquiſſima, pro inſigni ſua humanitate, mecum benigne olim communicavit Vir egregius; ex quorum poſteriori* Gloſſarium ad Sacros N. F. Libros *a me deinde editum, ut in* Praefatione *ibidem monui. Poſtea vero munifica Cel.* Herm. Sam. Reimari, *Soceri* τοῦ Μακρέττου *heredis, liberalitas eorumdem me poſſeſſorem fecit haud ingratum.*

(3.) Tertium & *utiliſſimum eſt* Photii *Lexicon, cujus Apographum, ex Anglicano Cod. MS^to, quem Eruditiſſ.* Thomas Gale *poſſedit, cura Cl. Eduardi Bernardi deſcriptum, & Bibl. Bodlejanae ab eodem donatum eſt, ubi etiam nunc adſervatur.* (*Conf.* Catalog. MSS. Angliae & Hiberniae, Oxon. 1697. *fol. ubi* Tom. II. *p.* 198. *a.* num. 5985. *inter Codd. MSS.* Thomae Gale, *num.* 151. *recenſetur* „ Photii Lexicon. Liber antiquus „ in membranis.„ *Et p.* 226. num. 7384. *inter libros MSS.* Eduardi Bernardi, *num.* 38. „ Photii Lexicon. Pars poſterior.„ *ſic ibi.*) *Illius autem ut mihi quondam copiam fecerit Venerand.* & *humaniſſimus* Jo. Chriſtoph. Wolfius, ὁ νῦν ὢν ἅγιος, *in eadem* ad Gloſſar. N. T. Praefat. *declaravi; quaeque ibidem plura commemoravi ſubſidia, non repetam. Tantum addo, quae tum ibi, tum in hoc opere, protuli ex* Arcadio Grammatico *inedito, me olim* Cl. Wetſtenii, *ſaepius laudati, beneficio obtinuiſſe ex Bibliotheca Remonſtrantium Amſtelaedami, una cum* Apollonii Dyſcoli *Fragmentis Grammaticis: quae duo κειμήλια, manu* If. Voſſii *deſcripta, ibidem latent.*

(4.) Quartum *eſt* Apollonii Sophiſtae Lexicon *Homericum* Iliadis & Odyſſeae, *ordine alphabetico: cujus larga ſpecimina, a Nob. Montfauconio* Bibl. Coiſlin. *p.* 457.–465. *producta, dudum mihi ſalivam moverant. Non exiguam partem conſtituit Codicis Coiſliniani (nunc S. Germanenſis)* CCCXLV. *eſtque Volumen in Quarta forma membranaceum, literis minutiſſimis, Sec.* X. *continens* 46. *folia, ſive paginas* 92. *Hunc autem librum MSti vicem mihi praeſtare poſſe credidi, quum* Homericas Voces, & *hunc ipſum* Apollonium, *inter fontes ſuos Heſychius in* Epiſtola ad Eulogium *celebraverit. E-*

†† †† †† †† ††

jus

jus itaque apographum Pariſiis adcuratiſſimum & integrum mihi comparavi, benevole rem curante eodem Viro Clar. J. J. Wetſtenio. *Mitto nunc varia illa ineditorum Gloſſariorum Specimina, tum in* Coiſlin. Bibl. *tum alibi exſtantia, quae non indiligenter conſului. Inter ea vero ſubinde quoque* Michaëlis Apoſtolii *Byzantii manu ſcriptum* Gloſſarium Graeco-Latinum *ineditum laudavi, cujus uſum mihi conceſſerat humaniſſime Vir Ill.* Joan. Grammius, *Daniae ſuae ornamentum. Conſtat foliis* 347. *in* 4°. *quem Codicem, ad Cel. J. C. Wolfium olim tranſmiſſum, nunc poſſidet Cl. D'Orville, mentione ejus facta in* Miſcell. Obſerv. Vol. IX. *p.* 114.

§. III. *Sed ut propius de inſtituti mei ratione dicam:*

1. *In* Contextu *Heſychiano retinui vulgatam lectionem, niſi in apertis vitiis, & male collocatis Accentibus, vel Spiritibus; aut ubi certa ſatis erat correctio: vel ſic tamen priſtinam lectionem inferius praepoſui* Notis, *ne fugeret Lectorem:*

2. *Ita inprimendum curavi Contextum, ut* ſinguli Articuli ſeparentur, *novumque verſum inchoent; ut in Suida factum.*

3. *Poſt Gloſſas, aut verba quae explicat Heſychius, ubique* punctum *adpoſui; etiam poſt illas voces quae interpretationem continent, ſi nimirum eſſent* diverſae *notiones. In* Synonymis *tantum interpoſui* comma.

4. *Si quando* carmen, *vel* hemiſtichium, *in Contextu occurrit, ita excudendum juſſi, ut a reliquo contextu diſcernatur.*

5. *In* Notis *ipſa Auctorum verba retinui; primo loco eas quidem* Notas *exhibens, quae in* Edit. Schrevel. *habentur: niſi eſſent corruptae, vel confuſae; quas emendavi. Saltem nihil (quod ſciam) omiſi, quod vel minimi momenti videri poſſet. Contra, quae in* Sopingianis *Notis a Schrevelio omiſſa erant non pauca, hic addidi, adjecto tunc plerumque integro nomine,* SOPINGIUS. *Quae vero* mea *ſunt, poſtremo loco ſine nomine ubique poſui.*

6. *Si* auctor Notae *aliquando ſub* unica litera *lateret, eandem retinui literam nominis principem, ut erat in Ed. Schrev. vel per* parentheſin *explicui. De quo jam ſupra monui,* cap. V. §. 5. *p.* XIX.

7. *Per* parentheſin *in aliorum Notis paſſim* loca Auctorum, *quae citabantur ſine* capitum *aut* verſuum *indicio, ſubjectis* paginarum *&c. numeris indicavi; ut facilius ea Lector inveſtigare & relegere poſſet. Quin & loca,* perperam *ſaepe a Doctis Viris* citata, *correxi: non ut inde gloriolam (quae nulla eſt) captarem; ſed adcuratam diligentiam, ad Editionis decus, probarem, ne erraret haereretve Lector. Quaecunque autem vel correxi, vel ipſe etiam brevitatis cauſſa verbo non nunquam addidi, parentheſeos ſignis, ſive uncinulis [ ] interjecta videbis.*

8. *Si quando (ut ſaepius evenit) plures in eandem mentem conſpirarent,* Valeſius, Heinſius, Sopingius, Kuſterus, *alii, illorum omnium nuda nomina eidem Emendationi vel Notae ſimul ſubjeci: ita tamen, ut* primum locum *dederim ei, cujus* verba *exhibeo, quique ceteris luculentior erat aut clarior. Ceterum dignitatis, aut aetatis ordinem non anxie ubique obſervavi, ſed prout maxime rerum ordini conveniret.*

9. *Non raro etiam videbis, vulgata Graecae Linguae* Lexica *a me* ſuppleri, *ubi vox, non alias, aut raro, obvia mentem ſcriebat; aliquando & Graecas* V. T. Concordantias, *&c. idque in communem ſtudiorum uſum. Ità ſaepius tum ex ipſo Heſychio, tum ex aliis Scriptoribus, tum ex* Anthologia Graeca inedita, *voces notavi* ἀπὸξ λεγομένας: *ex hac autem, integra non nunquam Epigrammata, nondum prolata, adſperſi, uſus Codice MS°* Cl. Jo. Clerici, *qui nunc eſt penes Cl.* D'Orvillium, *locupletiſſimum eorum quae ad Anthologiam Graecam ſpectant, poſſeſſorem: ut ſuperius etiam dixi p.* XXIX.

10. *Ce-*

10. *Ceterum* Latinam verſionem *Heſychio non dedi; niſi in* Praefatione ad Eulogium, *utpote quae continua ſtylo decurris, cujus proinde tranſlatio huic Editioni magis convenire videbatur. Ipſum autem* Gloſſarium *Latine reddi non debebat: tum quod in plurimis locis corruptiſſimis aſteriſci pro verſione ponendi fuiſſent; tum maxime (ne nunc de aucta libri mole dicam) quod illis, qui Graecae linguae adeo inperiti ſunt, ut Scholia & Gloſſas Graecas non ſine verſione intelligere queant, nullo ſane modo Heſychius prodeſſe poſſet, etiamſi Latine omnia exhiberentur. Quid de hujuſmodi Grammaticorum verſione judicaverint paſſim Eruditi, interque eos praeſtantiſſimus Mauſſacus, patet ex ejuſdem ad Harpocrationem* Praefatione, *cujus partem a Nic. Blancardo omiſſam reſtituit in Editionis ſuae* Praefatione *Cl. Jac. Gronovius. Conf. Cl. L. Bos* Praefat. *ad Thomam Magiſtrum.*

Atque haec hactenus de Heſychio, ejuſque nova, quam exhibemus, Editione.

His omnibus ſubjicere decreveram peculiarem tractationem de praeſtantia & uſu Lexici Heſychiani, regulas complures additurus, quae in legendo & corrigendo Heſychio ſint obſervandae, ad alios etiam Auctores, & rem Criticam in univerſum, ut puto, non inutiles; quarum jam ſeriem inſtruxeram, detectis mendorum & corruptelarum fontibus in hoc opere non paucis, & qua via ad verum eatur. Sed nimis etiam quam par eſt nunc excrevit ſub manu Praefatio, & praeter opinionem. Plurima quoque ejuſmodi paſſim in ipſo opere a me commodis locis ſunt monita. Accedit ſequens Adparatus, in quo, praeter alia ad Heſychium pertinentia, Praeſtantiſſimi & Celeberrimi Viri J. A. Erneſti *Diſſertationem videbis elegantiſſimam* de Vera Indole & recto Uſu Gloſſariorum, *in primis* Heſychii; *quam, ad eundem ſcopum compoſitam, & ab eruditiſſimo Juvene*, Davide Ruhnkenio, *Pomerano, Academiae noſtrae cive ornatiſſimo, mihi ſuppeditatam, adjicere malui, ut ſpatium propoſitum corriperem, neque Voluminis hujus editioni moram injicerem ulteriorem. Id quod bona cum venia Cl. Auctoris factum velim. Pedem itaque hic figo: quum & alia plura deinde occurrent, quibus locupletari commode poterunt quae meditatus fueram.*

Ceterum nullus dubito, quin varia, in tanta rerum diverſiſſimarum multitudine, commiſerim & omiſerim. Homo ſum: & per alia paſſim negotia, depoſitis aliquando libris, per ſedium mutationes quoque, &c. negligere quaedam facile potui, quae jam notaſſe me putabam; alia, quae ſero animadverti, refingere non erat integrum. Ad haec qualiacunque connivebit, ſpero; humanus & eruditus Lector, ſi in ſimilibus unquam curandis defudaverit. Sciolos enim, aut moroſos cenſores non eſt quod curem. Pauciſſimos etiam in tanto opere errores typographicos, quique exigui plerumque momenti ſunt, facile quiſque per ſe corriget. Tantum moneo, pag. 62. *in* Textu, *ſcribendum eſſe* Ἀγορᾷς, *per* ᾱ μικρὸν, *pro* ἀγωρᾷς. Pag. 98. Not. 22. *legendum:* Hactenus Vir Cl. Vide tamen an *&c.* Pag. 158. *ſub fin. leg.* qui αἰμάτη cum ᾶμα confuderit. Pag. 364. *in* Textu *leg.* Ἀνεσασίη, *pro* Ἀνεσασίη. Pag. 584. Not. 20. *ultima verba*, Saepius tamen Superlat. *&c. ponenda in fine* Notae 22. Pag. 883. Not. 1. *bis* Προσκρύσης *male legitur pro* Προκρύσης. Pag. 1062. *in v.* Ἔξλυεν, *retinendum* ἀνεφύσα, 3. *Praet. Inperf. ab* ἀναφυσάω. Pag. 1220. *in* Textu, *ad v.* Ἐν δεξιᾷ, *pro* ἐκδεξιῶν, *diviſis vocabulis ſcribend.* ἐκ δεξιῶν. Pag. 196. *omiſi quoque emendationem* Bodaei a Stapel, *ad Theophraſt. p.* 1136. *legentis:* Ἀκοντί. - - - - χωρὶς κόνεως.

Sed Addenda *varia atque* Emendanda, *ut* & Indices *neceſſarios complures, ſequenti Volumini adjiciam, ſi DEO O. M. rerum humana-*

rum arbitro visum fuerit; Cui pro benevola ope, hactenus praestita, gratias ago habeoque immortales. Vale, benigne Lector, & his interea fruere.

Leidae, prid. Non. Augusti.
CIↃIↃCCXLV.

SUPERIORUM EDITIONUM PRAEFATIONES

ET

DEDICATIONES,

ALIAQUE VEL EDITA ANTEHAC,

VEL INEDITA,

AD

HESYCHIUM FACIENTIA.

PRAEFATIO EDITIONIS ALDINAE, MDXIV.

ALDI PII MANUTII

AD

JOANNEM JACOBUM BARDELLONUM

IN

HESYCHII DICTIONARIUM

PRAEFATIO.

Si caeteri ſtudioſi, Nobilitatis Mantuanae Decus *Bardellone*, ſua ſponte, ac gratis, ut ipſe facis, juvarent me edendis, publicandiſque bonis libris, qui tanquam κατ' ἀναβίωσιν revivifcant mea cura, & laboribus, brevi quam plurimi, qui deſyderantur, exirent in publicum, ut de *Heſychio* factum eſt; quem cum penes te tantum eſſe duceres, & vere fortaſſe, nemo enim eſt, quod ſciam, qui extare alium audiverit, eum ad me miſiſti, ut daretur imprimendus impreſſoribus noſtris, nihil prorſus aliud ſpectans, quàm, quae tua eſt liberalitas, qui tuus amor erga lite-

ratos viros, ut fiat communis ſtudioſis omnibus, etiam poſteris. Nec imitaris invidos quoſdam, qui, dum ſe ſolos eſſe doctos volunt, bonos libros invident aliis; ſed tui omnes quam ſimillimos fore cupiens (es enim & Graece, & Latine doctiſſimus, Mathematicarumque diſciplinarum longe peritiſſimus) bibliothecam tuam, plenam optimorum librorum, omnibus benignus impertis. Ecce quod juſſiſti, factum eſt diligenter. „ Agimus igitur tibi, „ quas poſſumus gratias, & noſtro, & ſtudioſorum nomine, qui hoc ipſo libro uſuri „ ſunt. utentur autem eo omnes, quicunque capti amore bonarum literarum non ceſ„ ſant exemplaria Graeca nocturna verſare manu, verſare diurna, idque ob plurimam, „ quae in eo eſt, dictionum copiam. „ Omnes enim, quae in variis Dictionariis habebantur dictiones, primum Diogenianus, homo doctiſſimus, de quo in Praefatione, quae ſtatim ſequitur, Heſychius meminit; deinde Heſychius ipſe, cujus Suidas in dictione Ἡσύχιος facit mentionem, in unum diligentiſſime collegit. Sed illud admodum dolendum eſt, quod, neſcio cujus incuria, Proverbiorum argumenta, quae praetermiſſa à Diogeniano Heſychius adjunxerat, tum plurium dictionum, & quae rariores ſunt, authoritates, quas is ipſe Heſychius ſtudioſe addiderat, ſublatae ſunt ſummo ſtudioſorum incommodo, & jactura.

Hunc autem librum ſub tuo nomine in publicum exire voluimus, *Bardellone* doctiſſime, ut & tibi deberent hoc munere ſtudioſi. quem eò gratiorem tibi futurum exiſtimamus, quod eum *Muſurus* compater utriuſque noſtrum, quantum per occupationes licuit, diligenter recognovit, fecitque, licet curſim, πρὸς ἡδονήν. quamplurima enim in eo loca emendata ſunt; id quod facile cognoſcet, qui exemplar ipſum cum novo hoc conferet. Vale. Venetiis menſe Auguſto. M. D. XIIII.

Haec Aldi Praefatio repetita eſt in Edit. Hagen. 1521. omiſſa in Florentina, ut & in Schrevelliana, paucis tamen, quae ſic („) deſignavi, inde excerptis, & inter *Teſtimonia de Heſychio* relatis ab Editore.

EDITIONIS FLORENTINAE PRAEFATIO. MDXX.

ANTONIUS FRANCISCUS VARCHIENSIS

PETROFRANCISCO PORTINARO

PATRITIO FLORENTINO

S.

NON te latet, *humaniſſime* Petrefranciſce, *fuiſſe quondam maximam inter bonarum artium profeſſores quaeſtionem, & adhuc ſub judice litem eſſe, utrum poſſent Latini ad ſummum diſciplinarum apicem aſcendere, & in his, quas humanitatis litteras appellamus, proficere abſque optima Graecarum litterarum cognitione. Alii (ut ſcis: acerrimus enim es harum rerum perſcrutator & judex) alia ſentiunt. Nonnulli Quintiliani verbis aſſentiunt, qui libro* Oratoriarum Inſtitutionum *primo*, a Graecis incipiendum *eſſe inquit, & ſic hujus linguae cognitionem neceſſariam eſſe affirmare videtur. Volunt praeterea, Latinam linguam inopem eſſe, & hoc nituntur argumento, quod nos multis verbis Graecis ex Veterum inſtituto pro Latinis utimur, ut* Rhetorica, Dialectica, Grammatica, Geometria, Muſica, *quae nos noſtra fecimus, Latinamque linguam ditiorem reddidimus. Alii autem aliter ſentiunt, adverſarioque verba, quibus Cicero libro* de Finibus *primo utitur, objiciunt; ſcilicet* Latinam linguam non modo non inopem, ſed locupletiorem etiam eſſe quam Graecam: quando enim, *inquit ille*, vel nobis dicam, aut Oratoribus bonis, aut Poëtis, poſtea quidem quam fuit quem imitarentur, ullus orationis vel copioſae vel elegantis ornatus defuit? *Nos vero, cum noſtrum non ſit tantas componere lites, praeſertim quia nedum ſummis (ut ajunt) labiis Latinum fontem, ne dicam Graecum, attigimus, nullius addicti jurare in verba magiſtri, hoc tantum dicemus, in Graecorum diſciplinis ingenium, acumen, & omnigenam eruditionem apparere, adeo ut nulla unquam gens fuerit, quae dicendi copia & ingenii elegantia illos ſuperaverit; & quod Cicero* pro Lucio Flacco *dicebat*, tribuimus illis litteras, multarum artium diſciplinam, non adimimus ſermonis leporem. *Igitur cum miro erga bonas artes earumque ſtudioſos affiamur amore, ad communem omnium utilitatem* Heſychii καὶ συγῶν *Lexicon, propter plurimam quae in illo eſt dictionum copiam excudendum ſumma diligentia curavimus: & quia libros noſtris lucubrationibus eaſtigatos atque excuſos amicis noſtris inſcribere conſuevimus, hunc nomini tuo nuncupamus, tum ob amicitiam noſtram, cum ob egregiam tuam utriuſque linguae bonarumque artium peritiam. obmitto morum integritatem, ſummam probitatem, humanitatem ſingularem, quibus ad promerendam hominum gratiam, quibus cum verſaris, uteris: nam majori praeconio laudes tuae celebrandae forent. Suſcipe ergo hoc noſtri agelli munuſculum bona (quod dicunt) avi, & nos ea benevolentia, qua caeteros amicos, proſequaris. Vale.*

SCHREVELIANAE

EDITIONIS EX OFFICINA HACKIANA, MDCLXVIII.

DEDICATIO.

CLARISSIMO ET ERUDITISSIMO

VIRO

EMERICO BIGOTIO

HACKII,

S. P. D.

REdeunt ad te, Vir doctiſſime, variae hominum doctorum in *Heſychii* Lexicon Annotationes, & ultro tuae eruditioni ſeſe offerunt. Non anxie nobis dubitandum fuit, ad quem praeter te mitterentur, cum tibi non minimam ſui partem debeant. Novimus enim, & nobiſcum, qui vel primis labiis ingenuas artes tetigerunt, animum tuum & omnibus literis ſtudiiſque, & his, in quibus Heſychius excelluit, addictiſſimum. Ut hinc facilè nobis perſuaſerimus, fore ut, quod tibi dicamus, habeas gratum; Tibi enim convenit, qualecunque eſt: tuo hortatu potiſſimum, tuorumque adjumentorum fiduciâ id conceptum & natum eſt. Mittimus hîc tibi aperire, quid hoc in opere ſit praeſtitum. Ipſe pro exquiſitioris doctrinae tuae copia, & judicii, quo polles, ingenuitate & magna perſpicacitate, id videbis, & invenies, quod dignum ſit, ut oculos detineat tuos. Mittimus, dicantium more, excurrere per ea, quae tui admirationem pariunt; quippe quibus incultus ſermo noſter facilè fuliginem allineret: &, abſque hoc periculo foret, tua nos his immorari vetaret modeſtia. Unum igitur tantummodo à te contendimus, ut, quo ſemper Scriptore delectatus es, eum non invitus videas cultum in Officina noſtra eo ornatu; cujus magnam partem tuo beneficio nactum ſcimus optimum, & in juvandis pro copia ſua ſtudiis indefeſſae induſtriae *Cornelium Schrevelium*, † μακαρίτην. Adjunxit non parvo labore ſuo undique collectas partim editas partim ineditas virorum praeſtantium obſervationes, ut, quas tu ei vel ut mutuas dederas, tibi cum foenore redderet. Equidem ingenuè fatemur, gratius longe futurum fuiſſe, quod offerimus, ſi id à manu ipſius Schrevelii recepiſſes: ſed quia is maxima cum literarum clade viventium numero eſt exemtus, noſtrarum id eſſe partium duximus. Accipe igitur hoc pignus noſtrae erga te obſervantiae, & illud pro tuo in literas candore gratum habe. Vale, Vir Clariſſime, & bonarum literarum bono diutiſſimè incolumis eſto.

Scribebamus Lugd. Batav.

(*EJUS-*

(*EJUSDEM EDITIONIS*)

PRAEFATIO

A D

LECTOREM.

LEctor candide, *non immeritò Poëta noster Venusinus exclamat, in lib. de Arte Poët.* Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo Musa loqui. *Hoc significans, absque Graecae linguae peritia saltem mediocri, doctum haberi neminem posse. Omnes enim artes, quae ad humanitatem pertinent, commune habent vinculum, & quasi cognatione quadam inter se continentur. Verùm, cum omnium artium parens semper exstiterit Graecia, Latinumque sermonem non disciplinis modo, sed & verbis locupletaverit; quicquid ferè eximium in Latinorum scriptis continetur, id Graecis solum acceptum referri debet. Et nisi illae artes, quas olim majores nostri excogitarunt, tum ad usum vitae, tum ad animi cultum, industriâ suâ posteri auxissent; sanè perexigua fuisset ex iis utilitas consecuta: propterea quod qui primi eas invenerunt, informasse potius quàm absolvisse videri possint. Quamobrem qui pro virili pomoerium doctrinae studiorumque promovere conantur: vel nova prorsus inveniendo; vel vetera novis cumulando; vel rursus, ab aliis jam ante tradita, meliore succinctiorique methodo proponendo: vel denique scriptores veteres omnis generis, aut obscuros illustrando; aut injuria temporum depravatos, qua ingenio, qua manuscriptorum auctoritate freti, nativo splendori restituendo, posteritati sane rem utilissimam praestant. Esti verò priora scribendi genera* [1], *& ad famam nominis uberiora judicantur: haud scio tamen, annon tertium hoc multò sit utilius fructuosiusque existimandum. Illud certè nemo inficias ibit, hoc genus in hac literarum aetate, & librorum, ea qua laboramus promodum infinita mole, solum esse necessarium. Quia enim ex infinita ferè veterum scriptorum copia, oppidò pauci interitum effugêre: & horum plerique sic laceri, sic corrupti, vix ut ipsi in suis scriptis, si virgula, ut ajunt, divina, huic luci fuerint redditi, sese sint agnituri, quid exspectandum?* Tantum aevi longinqua valet mutare vetustas. *Miserâ profectò res, & sapientiae studiosis veris lachrymis defienda. Unde enim nobis eruditio parabitur; unde cognitio disciplinarum; nisi ex libris antiquorum? Iis si utimur depravatis, quid superest, nisi ut Ixioni similes, umbram pro re, amplectamur? Enimvero, ex omnibus quorum ad nos scripta pervenerunt, nullus fere est, qui à vetustate pejus fuerit acceptus, quàm hic noster scriptor, verè πολυμαθέστατος, verè undecunque doctissimus & omnis antiquitatis penitissimus; cujus Lexicon nihil aliud est, quàm perpetuae auctorum Glossae & interpretationes, & antiquae eruditionis penu; & in quo non Graeciae totius modò, sed ex parte & Orientis, ut Dan. Heinsius in Aristarcho suo ait, eruditio conclusa jacet: quemque Doctissimum Graecorum Criticorum Casaubonus vocat.* » *Quisnam fuerit* [2], » *non constat: de cujus patria, aetate & vita qui inquirunt, nae illi κολοιὸν Alexandriae quaerunt, vel lupum in Creta* [3]; *qui ibi non facile se hominibus conspiciendos » praebent. Tanta enim est hujus auctoris* [4] *obscuritas, ut an Hesychius sit γνήσιος auctor, sint qui dubitent* [5]. *Unde enim id constabit? Nemo antiquorum* [6] *eum laudat, » citat, nominat. Fuit tamen* [7] *unicum exemplar, unde hoc turpissimè corruptum* [8], *& » divulgatum est. Sed ne* [9] *nomen hoc, quod jamdiu insedit, frustrà movere velle videamur* [10]; *age videamus, quid docti de hoc sentiant, quae tamen tantum abest ut pro- » bemus, ut etiam falsò huic tribui omninò putemus. Primò dicunt, Hesychii hujus » mentionem fieri in Collectaneis Suidae* [11]. *Hesychium hujus » hunc ipsum notari, nego. Nam ecce Suidas suum Milesium dicit, filium Hesychii cu- » jusdam advocati. At titulus hic docet hunc nostrum Grammaticum Alexandrinum » fuisse. Quomodo igitur Milesius, idem Alexaodrious erit? Dicent fortasse patria Mi- » lesium fuisse, sed Alexandriae Grammatica* [12] *professum. Hoccine reticuisset Suidas, » qui quae sunt* [13] *hujusmodi accurate notat* [14]? *Sed hunc à Suida indicatum, porrò » firmant ex ejus verbis: ὑγιαίνειν &c.* Ita enim pro seqq. habet MS.

1. Deest vocabulum aliquod.
2. *Quisnam fuerit, non constat.*] Haec & sequentia, usque ad *nemo sano persuadebit*, tacito nomine descripta sunt ex Gul. *Sopingii* exemplari, qui ea in paginam Titulo libri praemissam sua manu conjecerat. MS. illud (ut adpellabo) sic incipit: *Hic* (Hesychius) *quisnam fuerit, ignotum mihi.* Multa autem in hac Praefatiuncula parte vitia ex Sopingii manu obscurtori nata esse perfuasus sum.
3. Κολοιὸν . . . . vel *lupum in Creta.*] In MS. posteriora superscripta erant priori comparationi; ut supra κολοιὸν, Latinum *graculum.*
4. *Auctoris*] MS. *authoris.* Quam orthographiam in seqq. perpetuo servat.
5. *Dubitent.*] MS. *dubitant.*
6. *Antiquorum*] MS. *antiquiorum.*
7. *Tamen*] MS. *tantum.*
8. *Corruptum*] MS. addit *expressim.*
9. *Ne*] MS. *ne quid.*
10. *Videamur*] MS. *videar*, ut mox *probem*, & *putem.* Ita etiam in seqq.
11. *Suidae.*] MS. *Suidae*, ut plures olim scribebant.
12. *Grammatica*] MS. *Grammaticum.*
13. *Quae sunt*] Haec verba non exstant in MS.
14. *Notat?* &c.] MS. Soping. addit: *Quod idem* (Suidas) *de Agathia tradit,* Ἀγαθίας γεγόνασι Σμυρναῖοι, *cave acceperis aliter, quam quod patria Smyrnaeus in initio erat fuerit, non autem professione tantum. Quid enim est hoc, quod alibi patriam suam idem scriptor Μυσὸν vocat? Mea judicio ponendum Σμύρναν. Aut probent aliunde nomen hoc urbis, Museûs, quod in rerum natura non esse jciens omnes fugerunt. Sed ad Hesychium redeo, quem Suidam indicasse pro firmans ex ejus verbis:* ὑγιαίνειν &c. Ita enim pro seqq. habet MS.

» *firmant bis verbis:* ἔχει φέρειν ἀνομαστολόγιον ἢ πίνακα τῆς ἐν παιδίᾳ ἀνομαστῶν, ἢ ἐπιτομὴ ἔχει τοῦτο τὸ βιβλίον. *Imò ego dico ex nullo clarius evinci posse esse diversos, quàm ex* » *isto loco. Nam quod* ἀνομαστολόγιον *exponunt* Lexicon, *longe falluntur. Non enim in* » *isto libro λέξεις recensuit, sed* nomina *virorum eruditione clarorum; vel ut ipse red-* » *dit,* πίνακα τῆς ἐν παιδίᾳ ἀνομαστῶν, *hoc est,* tabulam eruditione excellentium. *Probat* » *haec particula ista* (ἢ) *quae disjungendo copulat* [1]. *Si enim* (ᾖ) *esset, aliquid dice-* » *rent. Addunt ex hoc, librum hunc esse tantum epitomen istius magni* [2]. *Error er-* » *rorem parit* [3]. *Nam praeter ista jam dicta, liber hic, quem jam terimus, loquitur,* » *& ipsos redarguit, nec video* [4], *cujus libri epitome aut compendium esse posset. Ap-* » *parent hic omnia, quae ipse auctor se praestitisse dicit* [5]. *Quid igitur restat, quod* » *huic scripto desit* [6]? *promisitne etiam alia plura? legant Epistolam* Eulogio nuncupa- » *tam* [7], *& sentient, spero quoque assentient. Porrò interpretentur ipsi verba ista* » (τῆς ἐν παιδίᾳ ἀνομαστῶν) *de* significationibus, *explicationibus vocabulorum* [8], *si possint.* » *Fragmenta itaque nuperrime edita virorum qui doctrina claruerunt, erunt τοῦ πίνα-* » *κος ἐκείνου. Fuisse* Christianum *nec ne, dubium nobis est* [9], *probamus tamen istud.* » *Primò, claudit epistolam suam formula illa Christiano dignissima:* Εὔχομαι δὲ τοῦ Θεοῦ » *παζήμων σε. &c. Si enim fuisset* Ἑλληνικῆς μαζαιοπαιδείας ἀνάπλεως, *ut Suidas ait, ab-* » *stinuisset & ab hac, & ab usurpatione singulari Dei* [10]. *Ostendit id quoque nomen* » Eulogii, *cui inscripsit hunc librum, quod Christianismum magis sapit, quàm gentilis-* » *mum. Testantur clarissime istae omnes voces, quae in hoc Lexico dispersae sunt, &* » *explicatae, non solùm ex Veteri* [11] *Testamento, sed ex Novo, adeoque Graecis Patri-* » *bus citatae. Laudat* Leviticum, *librum* [12] II. Regum, Jobum, *& omnia obscura to-* » *tius* Psalterii [13], Esaiam, Ezechielem, Ozeam, *&c. Et* [14] *ne quid jam dicamus de* » *LXX. Interpretibus, & Aquila, quorum interpretamenta interdum comparat; No-* » *mina* Matthaei, Marci, Lucae, Johannis, Jacobi *expressa reperies: ut taceamus* [15], » *quae ex iis citata exponit, &* Actis Apostolorum, *maxime* Epistolis Pauli, Jaco- » bi [16], *&c. quae omnia, si necesse fuerit, luculenter probare possemus* [17]. *Jam quod* » ὀμοίωσιν *&* ὁμοιοπτωτα *dextre, perspicue & orthodoxe interpretatur, qualis fuerit,* » *clare se prodit* [18]. *Denique hoc unum evincit, quod volumus* [19], *cum* Ἀπφιὼ *ait esse* » πυῤῥαλέῳ ἀγὶν σύεγκια, *clarè alludens ad locum Pauli* Rom. VIII. [15.] ἐν ᾧ κράζο- » μεν· Ἀββᾶ ὁ πατήρ. *Addo, quod* Ὑπόθεσιν *exponit* ἄγαν βάπτισμα. *Ex Patribus nomina-* » *tim extulit* ἄγαν ᾗ [20] μέγαν Epiphanium *&* Cyrillum. *Haec igitur & hos omnes ho-* » *minem* Ἑλληνῶν *à Christo ejusque Rep. tam alienum potuisse aut voluisse memorare,* » *nemo sano persuadebit* [21]. » *Hujus igitur tam eruditi Auctoris scripta, priorum sae-* culorum barbaries ita vexavit, *ut nondum statuerimus magis gaudendumne studiosis fue-* rit *non penitus illa intercidisse; an dolendum magis, quod sic affecta ad nos sint trans-* missa. *Tamen quantum in nobis fuit, annisi sumus, doctissimum hunc Scriptorem, non* ut antea truncatum *& lacerum; sed meliori & nitidiori forma exhibere. Fatemur nos* usos *subsidio multorum Doctissimorum Virorum, & exemplaribus, aut excerptis ex exem-* plaribus Junii, Scaligeri, Salmasii, Palmerii Grentemenilii, Guieti, (*quod CL. V.* Aegidii Menagii *humanitati debemus*) *duobus* Sopingii, Cocceii, Gronovii, Tanaq. Fabri, *& aliorum, sed hinc maximo cum labore excerpsimus, quae ad illustrationem Auctoris* fecerunt. *Adhaec loca etiam Auctorum, tam ex quibus Hesychius desumpsit sua, & quos* citat, *quàm qui in Hesychii difficiliora loca aliquid commentati sunt, annotavimus & ci-* tavimus. *Meruerat hanc operam Hesychius, istam itaque praestitimus & debuimus for-* tasse uberiorem. *Sed primi hanc viam insistimus, nec omnia quae rariora praesertim ac* recondita, *intuitu amant uno pernosci, nec ab uno. Sufficiat, nos pro tempore quod po-* tuimus, *id fecisse. Haec, amice Lector, ad Tuum commodum praefari voluimus, haud* dubitantes, *quin quod hîc exhibemus, Tibi fit gratum, ut multis optatum. Utere ergo* Hesychio, *quo hactenus uti non potuisti, & miram eruditionis Graecae reportabis co-* piam. *Vale & nostris laboribus fave.*

1. *Copulat*] MS. addit: *& conjungit.*
2. *Magni*] Addit MS. *operis.*
3. *Parit.*] MS. addit: *Falsum ex falso contextum.*
4. *Redarguit, nec video &c.*] MS. *redarguit. Ut enim non negem, quaedam injuriam temporis carpsisse, & polluisse, non tamen video &c.*
5. *Se praestitisse dicit.*] MS. addit: *Argumenta scilicet Proverbiorum, etsi in multis vitiosa & imperfecta, reperiuntur. Auctoritates variorum dictionum, etsi non omnes, ex nomine cujusque libri citatae & laudatae leguntur.* A qua Sopingii opinione fateor tamen me cum aliis longe diversum sentire.
6. *Desit?*] MS. *deest?* additur etiam: *quid deest quod restat?*
7. *Nuncupatam*] Addit MS *hîc praemisserim.*
8. *Vocabulorum*] MS. *dictionum.*
9. *Nobis est, probamus tamen istud.*] MS. *mihi est. inclino in istud.*
10. *Singularis Dei.*] MS. addit: *Ita scilicet fovebant ista acerbissima & efferatissima tempora, quibus pagani, ne quid tantillum Christianis darent, in ore & scriptis suis Deos jactitabant.*
11. *Veteri*] MS. *Vetere.*
12. *Librum* II.] MS. tantum habet: *secundum.*
13. *Psalterii,*] In MS. additur: *nomine Psalmorum non addito.*
14. *Et ne q. j. dicamus*] MS. *ne quid jam dicam*, omisso *Et.*
15. *Reperies: ut taceamus*] MS. *reperies. Ut taceam*, &c.
16. *Jacobi*] MS. *Epistola Jacobi.*
17. *Possemus.*] MS. *possum.*
18. *Se prodit.*] MS. *ostendit*, absque *se.* Additur: *Quid quod* Τετρὰς reddit Antichristi *nomen esse, nomine Christum agnovisse docet, qui id hauserit ex libris Irenaei?*
19. *Volumus*] MS. *volo.*
20. *Καὶ*] MS. *&.*
21. *Persuadebit.*] Hîc finitur *Sopingii* scriptura. Sequentia Editoris sunt, quemadmodum & priora hujus *Praefationis.*

DA-

DANIELIS HEINSII PRAEFATIONIS AD HESYCHII NOVAM EDITIONEM PRIMAE LINEAE.

Monendus es, Lector, *Primo:* Quaedam in hoc Lexico ab Hesychio adduci, quae non explicantur; quale est illud, quod male tamen distinguitur: Ἐλαίνων. ἀμφὶ ἄναξ. Putarunt enim homines imperiti, quid sit illud Ἐλαίνων, sequentibus expuni; cum totum hemistichium ex *Iliad.* Υ. desumptum sit: sive quod desit expositio, quam facile ex aliis Grammaticis Homericis supplere est; ut videtur certe in loco hoc: sive quod ita ab ipso Hesychio adductum sit; quod in hoc exemplo non facile concesserim. In Suidae tamen collectaneis fieri videmus. Idem fit in Παγχλιδὸν.

Secundo: Asterisces hos, qui passim locis Hesychianis affixi sunt, non defectum indicare semper; quos praefigebant antiqui, quoties de loco aliquo dubitarent, aut interdum non recte intelligerent.

Tertio: Propriam in hoc Lexico vocabuli alicujus significationem qui requirat, frustra futurum: quia plerunque ille locos alludit obscuriores, idque in Comicis saepe quos desyderamus; nec tam quid usitatum, quam quid ignotum vulgo, respicit.

Quarto: Multa, imo pleraque hujus Grammatici in magnum & praeclarum suum Lexicon cootuliſſe *Phavorinum*; pro cujus authoritate nolim tibi hic quicquam vel recineodum vel immutandum putes.

Quinto: Ex Homericis dictionibus magna ex parte constare Lexicon hoc; propteres nisi qui in Homero diligenter versetur, vix habiturum quicquam quod hic emendet.

Sexto: Non ipsum hoc Hesychii opus esse, sed compendium; multa propterea hic menda, quae non librariorum negligentia contracta, aut typographorum, sed πρὸ ὑπογραφῆς.

Septimo: Non semper vocabula & dictiones simpliciter ab Hesychio adduci aut exponi, sed saepe hemistichia, aut integros versus, ut unicum vocabulum aliquod illo in loco, quem affert, accommodata illi versui interpretatione reddat: quod observandum, ut interdum non solam ad vocem, quam requirimus, sed ad principium totius versus, quo continetur, recurramus.

Octavo: Non omnia, quae a reliquis Grammaticis dissentiunt, in Hesychio mendi suspicionem incurrere posse, ac propterea emendanda esse. Quis enim ignorat ἐκδόσεις esse πάνυ γραμματικὰς, qui vix a multis legi, nullo modo ab uno conciliari possunt?

Nono: Verba saepe numero ab Hesychio dissimulari, quae supplenda, tanquam incuriis typographorum praetermissa, cuivis videri possint; ut ecce: Φανίκια. Audit ὁ Ἴωνες τὰ κόμμεα. λαὶ Φοίνικες πάλιν. quo in loco ab aliis Grammaticis, apud quos eadem fere verba leguntur, ἴλαδον additur.

Haec in Codicis Heinsiani initio, Ipsius manu scripta, monita utilia non omittenda duxi. Plura non dederat V. Cl. quae ad Hesychium in Praefatione aliquando dicenda fuissent. Ad illud titulum, HESYCHII DICTIONARIUM, haec verba adjecerat: *non solum Homericis dictionibus investigandis idoneum, quibus magna ex parte constat tamen, sed Tragicorum quoque, & Comicorum, quorum scripta jam non habemus, magnum vocabulorum numerum breviter explanans, nec tam variarum vocum significationum, quam locorum saepe obscurorum rationem habens, & intellectui inserviens: cum emendationibus* DANIELIS HEYNSII *Gandensis.* Ita enim in juvenili aetate nomen scribere solebat.

JOH. CASPARI SUICERI

SPECIMEN

LEXICI HESYCHIANI,

QUOD EXSTAT AD CALCEM SACRARUM OBSERVATIONUM IPSIUS, *Tigur.* MDCLXV. 4. *a pag.* 343. *ad* 354.

HIſce *tandem omnibus ſubjicimus* Specimen Lexici Heſychiani, *jam ante biennium ſeorſim editum: de eo pauca veniunt monenda. Cum in Heſychio ab innumeris mendis repurgando & perpetuis Notis illuſtrando, & ad prelum parando totus eſſem, nunciatur, Virum Doctiſſimum, & de re literaria meritiſſimum,* DN. CORNELIUM SCHREVELIUM, τὸν ἐν ἀγλαΐᾳ *eandem provinciam ſuſcepiſſe, totumque illud Lexicon, Virorum toto orbe celeberrimorum* Junii & Scaligeri, Heinſii, Caſauboni, Salmaſii, Guieti, Sopingii, Palmerii, Coccei, Meurſii, Martinii, Tanaquilli Fabri & *aliorum obſervationibus & caſtigationibus emendatum & explicatum, jamjam in procinctu habere. De hoc inſigni conatu tum* Specimen *ab eodem* Schrevelio *juris publici ante annum, & quod excedit factum, tum Ejuſdem humaniſſimae de hoc propoſito ad me literae, dubitare non ſiverunt. Quid igitur conſilii? Poenitebat me initiò laboris jam exantlati. At cum intelligerem, meos nihilominus conatus, utpote luculentiores, & ad juvandas literas Graecas, ſiquidem tot, tantorumque Virorum deinceps accederent accuratiſſimae κρίσεις, accommodatiores, Viris in hoc ſtudiorum genere praeſtantiſſimis non tantum non diſplicere, ſed ab iiſdem etiam ad opus ſtrenue urgendum & ξυὼ Θεῷ ᾠδὴν πᾶσιν, ad finem perducendum me incitari & conſilium quidem nondum mutandum, ſed novam ex Belgio editionem exſpectandam putavi. Ut autem interea omnes illi, ad quos* Obſervationum *haec pervenerit farrago & facilius, qualem a lucubrationibus meis Heſychium ſibi promittere debeant, judicare poſſint* & Specimen *ſubjicio, in quo nunc quidem Contextus Autoris & Notae certis non diſtinguuntur characteribus, in ipſo autem,* ἐὰν ὁ Κύριος θελήσῃ καὶ ζήσωμεν, *Opere ſatis accurate, prout in edito jam* Specimine *factum, diſtinguentur.*

Suiceri illud *Specimen* Graeco-Latinum (nam verſionem Contextui eddiderat) incipit a v. Λιάζῃ, *flatu*, &c. deſinit in v. Λίγκα, *ululatus*, &c. Nonnulla ex eodem adtulit *Scbrevelius* in *Notis*, *Suiceri* mentione facta; alia tacito nomine; plura omiſit, vel in compendium redegit. Quare integras ſuo tempore Notas illas Suiceri exhibere animus eſt in litera A, locis ſuis. Interim hic ſubjiciende volui, in Lectorum gratiam, *Excerpta* varie ex Clariſſimorum Virorum JOH. RODOLPHI WETSTENII, *Baſilienſis*, & JOH. CASP. SUICERI, *Tigurini*, *Epiſtolis ineditis*, quae ad hiſtoriam Heſychianae illius Editionis fecere non nihil videbantur. Debemus haec Anecdota Viro Clariſſimo & Eruditiſſimo *Joanni Jacobo Wetſtenio*, qui ex Avunculi ſui magni reliquiis MSS. ea mecum benevole communicavit: Cui, ut par eſt, gratias itaque ago habeoque maximas. Singulorum nominibus ſuas ordine temporis Epiſtolas ſubjiciam, prout ad manus erant: aliquas enim intercidiſſe ſuſpicor, quum altera alteri non aeque ſemper reſpondeat; unde miſceri etiam commode non potuerunt.

SUI-

SUICERUS WETSTENIO.

I.

MDCLXII. *d. 6. Jul.* — — „ Memento *Heſychii*, ut ſubſidiis hic obviis ad nmbili„ cum perductis, ad Te confugere liceat. *Exercitationum* Cl. *Salmaſii* in „ Solinum lectio ad finem vergit. Minimum XXIV. ſchedas jam ex eo ex„ cerpſi. Omnia Heſychio illuſtrando, vel etiam reſtituendo inſervient.„

II.

——— *d.* 21. *Decemb.* „ Magnas nbique in Heſychio reperio difficultates. Utinam „ eſſet, qui explicationem vocum Scythicarum, Punicarum, Laconicarum, „ Macedonicarum &c. nobiſcum communicare poſſet! Nihilne tale in in„ ſtructiſſimis veſtris deliteſcit Bibliothecis! propediem tibi Catalogum lo„ corum διανόητον mittam, tuumque de iis exſpectabo judicium. Nolim ta„ men feria turbare ſtudia tua. Sat cito, ſi ſat bene. Tum enim demum „ meas Typographo committam chartas, ubi aliquouſque fuero progreſſus.„

III.

MDCLXIII. *d.* 8. *Martii.* „ Omnino ſtat, & ſtabit ſententia, Heſychii contextum talem „ dare, qualis ad nos pervenit. Nihil temere mutandum, ne Lectori nova „ lectio, veteri forte ineptior, obtrudatur: maximè etiam, ut omnes agno„ ſcant, non unius eſſe hominis, hoc Augiae ſtabulum expurgare. Deprava„ tiſſimus certe Author; nec medicam exſpecto manum à MSS^tis. Vix enim „ crediderim, ulla dari; vel ſi darentur, iiſdem laborarent vitiis, quibus E„ ditiones omnes ſcatent. Non dari, indicium certiſſimum, quod, qui Heſy„ chium ubique laudant, & emendant, Caſauboni, Heinſii, Salmaſii &c. „ eorum mentionem faciant prorſus nullam. Id praecipuum, & maxime ne„ ceſſarium, quorum ſubſidio Authorum hîc imprimis opus ſit. Non me fu„ git, luſtranda eſſe ſcripta Caſauboni, Heinſii, Salmaſii, Meurſii. Quae „ nanciſci licuit, diligenter conſului. *Caſaubonus* ſcripſit *de Re Veſtiaria* *, „ An, quaeſo, apud vos latet liber iſte? vel bidui uſura ſufficeret. Meminit „ *Portus Indicis* ſui in *Thucydidem*. Nec eum videre hactenus contigit. Indi„ ces Graeci in Poëtas Graecos plurimum conferrent. Sequentes tantum „ *habeo*, in *Heſiodum*, *Theocritum*, *Nicandrum*, & *Dionyſium de Situ Orbis* „ cum Notis Euſtathii. An hîc quoque a Vobis aliquid ſperare liceret? Cl. „ *Bigotii* operam nobis non defuturam, impensè gaudeo. Si conſiltum pu„ tas, Specimen Heſychianum cum eo communicandum mittam. Ipſe for„ te novit, penes quem Cl. *Salmaſii Notae in Heſychium*, quarum in *Epiſto„ lis* ejus mentio, deliteſcant. Perge Virum tantum conatibus noſtris redde„ re amicum. Multum Tibi debebit Heſychius, longè plura ego. Hiſce die„ bus aliud agendo incidi in illud, Αἶξυς πι λωπὸς, quod in *Specimine* appa„ ret. Sunt verba Euripidis in *Troad* †. in media fere Tragoedia (exemplar „ meum, Baſileae impreſſum, paginas non numerat) quae ſic habent:

„ Αἶξυς πι λωπὸς ἐκπτύσῃ,
„ Φρίγιά πι μέλεα.

„ Vel hoc nno exemplo docetur, quam ntiles eſſent mihi accurati Indices. „ *Suidam AEmilii Porti* habeo. Ipſe quoque Notas vocibus ſtatim ſubjicit, „ adeoque Contextum interrumpit. Heſychius longè plures Notas deſiderat. „ Ut tamen inter Contextum & Notas evidentiſſimum fiat diſcrimen, ſedulò „ operam dabo. Cl. *Joh. Lud. Fabricius*, Theol. D. & Prof. *Palmerii* cujuſ„ dam *Notas* in eundem Authorem hoc ipſo die per amiciſſimas literas pro„ miſit. Idem de omnibus, quae ad manus habeat, Ampliſſimus D. *Cleri„ cus*, olim Profeſſor, nunc Senator, qui etiam *Mileſiarum Apuleii*, cum „ *Notis Pricaei*, editionem vehementer commendat. Nunquam vidi; nec „ tale quid editum eſſe à Pricaeo, hactenus inaudiveram. Sed deſino mo„ leſtiſſimis literis meis Tuas turbare lineas, Teque, cum Tuis omnibus, „ feliciſſimè ſemper valere opto. „

IV.

——— *d.* 15. *Martii.* „ Doleo Indices in Poëtas, vel alios Authores Graecos, apud

„ vos

* Saepius ab Il. Caſaubono in *Epiſtolis*, & alibi, promiſſum opus nunquam prodiit. Ingentis Commentarii rudem indigeſtamque molem tantum habere ſe profitetur Filius, Meric. Caſaubonus, ſub fin. *Pietatis*.

† p. 544.

„ vos reperiri nullos. Gratiſſima mihi cura tua de conciliando nobis Cl. *Bi-*
„ *gotio*: modo monuiſſes, λεπίδας φερούσας in Aſſyrios ſcuta eſſe σφαιρικάς. Ut
„ tuô conſilio ſtem de non interrumpendo Contextu, ſollicite cogitabo. *In-*
„ *dicem in Euſtathium* habeo Homericum; illum quin etiam, quem & ele-
„ gantiſſimae ſuae [Homeri] editioni attexuit Schrevelius. At in utroque
„ plurima deſiderantur. Si talis extat, qualis in Virgilium Erythraei, meis
„ omnino conatibus apprimè inſerviret. Multa Heſychius ex Homerô ha-
„ bet, quae magno ſubiode labore, & cum temporis diſpendio quaerenda.
„ Juva ergo me, ſiquidem ſine tuo id fieri poteſt incommodo. „

V.

——— *d.* 5. *April.* „ In *Ariſtophanis Scholia* Indicem jam ipſe paravi. *Athenaeum*
„ cum *Caſauboni obſervat.* poſſideo, & magni facio. Ejus *Diogenem Laër-*
„ *tium* nunquam vidi. Sine dubio in multis meos juvaret conatus. De No-
„ tis ex *Pricaei Apulejo* excerpendis ne nimium ſis ſollicitus. Novi occu-
„ pationes tuas. *Indicis* ejuſdem, *Scriptorum* ab Heſychio laudatorum, ini-
„ tium accepi. Finem exſpecto. — — Dictionarium *Harpocrationis* tan-
„ dem ſum nactus. „ — —

V I.

——— *d.* 12. *April.* „ Editiones *Harpocrationis*, ut jam intelligo, minimum duae
„ ſunt: altera ex typographeo *Aldino*; altera ex *Pariſienſi*, cum Notis
„ *Mauſſaci*. In priorem hîc ineidi: Poſteriorem, ut & *Lexicon Erotiani*,
„ *Gloſſarium Galeni*, *Hippocratis OEconomiam Phaefii* * (authoris ne de
„ nomine noti) D. *Clericus*, Senator Genevenſis, offert. — — Mirum ſi
„ Clariſſimus quoque *Bigotius* Heſychii meditatur editionem. Eandem promi-
„ ſit antehac *Schrevelius*, promiſit *Pricaeus*, promiſerunt alii. Quot ergo
„ tandem habituri ſumus Heſychios? Quicquid ſit, ego laborare non deſi-
„ nam, donec meos ab aliis conatus praeoccupatos videro: nec unquam poe-
„ nitebit impenſae operae, etſi mihi ſoli maneat utilis. „

V I I.

——— *d.* 3. *Maji.* „ Ad ultimas tuas totus obſtupui. Ergone *Schrevelius* Heſy-
„ chium jam habet ad praelum paratum? Nolim ego operam, quae aliis for-
„ te non ſine uſu impendi poſſet, in hoc Authore lndere. Miror ego ſum-
„ mopere, an *Specimen* tantum hocce praemittere voluerit Schrevelius, &
„ quando ſit impreſſum: an vero opus ſub praelo ferveat? *Meum Specimen*
„ quin ipſe quoque jam acceperit, dubito nullus. Et fortaſſe, quanquam eo
„ quo coepit pede totum nobis Vir ille doctiſſimus daret Heſychium, ego
„ tamen ab incoepto vix abſterrerer. Etenim, ut ingenuè dicam quod ſen-
„ tio, Notae iſtae multis in locis adeo mihi videntur obſcurae, ut illae alias
„ inſuper requirerent Notas, quibus explicarentur. Nihil de ſuo Schrevelius
„ addit. Ubi Virorum doctorum exemplaria, quibus uſus eſt, ſilent, ipſe
„ quoque piſce magis mutus eſt, & ne foediſſima quidem errata tollere co-
„ natur. Impatienter ſatis exſpecto, quid de hocce Schrevelii conatu mihi
„ Heidelberga ſcripturus ſit Cl. D. D. Fabricius. Quidſi ejus impetum ſiſtere,
„ & ab eo ſubſidia non contemnenda elicere poſſemus? Tempus, quid futu-
„ rum ſit, nos docebit. Vicit tandem ſententia tua. Omnino deinceps Con-
„ textum Heſychii cum interpretatione Latina a Notis eodem ſeparare conſti-
„ tui modo, quo in Specimine Schreveliano ſeparantur. Et ut eo minus in
„ molem exereſcat liber, in Notis ille ipſe commode adhibebitur character,
„ qui in tranſmiſſo apparet Specimine: in Contextu vero ille, quem in Notis
„ Speciminis mei adhibitum vides. — — Redeunt literae Cl. *Bigotii*. „ — —

V I I I.

——— *d. ult. Maji.* „ Cum Cl. Schrevelio, ex conſilio tuo, nactus occaſionem,
„ diligenter agam. Ipſe tamen eo, quo nunc ſoleo, deinceps pede ire per-
„ gam. Corrigam, quae corrigi poſſunt; meas ſuo tempore conjecturas
„ cum Schreveliana Editione collaturus: interpretationem adjiciam, cum
„ Authorum teſtimoniis, & neceſſariis Notis. „ — —

I X.

——— *d.* 13. *Septemb.* „ Novum Specimen Heſychianum, tuis reſpondens votis,
„ proxime ἐξ. ϑ. videbis. Extorquent illud Clariſſimi Viri D. D. *Fabri-*
„ *cius*, & *Tanaquillus Faber*, Gymnaſiarcha Salmurienſis, maximus Phi-
„ lologus. „ — —

X.

* *Poſſil.*

X.

——— *d.* 27. *Sept.* „ Conſilio tuo locum omnino dabo. Novum Specimen, etſi „ jam adornatum ſit, cum nemine, Te uno excepto, communicabitur, do- „ nec ſciam, Editionem Schrevelianam jam aliquo uſque perductam eſſe. „ Quid Clariſſimo interim D. D. *Fabricio*, exemplar urgenti, reſpondeam, „ nondum ſatis ſcio. Prioris communicationem, poſt Doctorum Virorum in „ illud Notas, ſine periculo vix conjunctam puto: poſterioris vero, omnibus „ conatibus meis valde noxiam, quia Schrevelianae Editioni facile moram in- „ jiceret, mihique adeo omnia, tanto hactenus opere quaeſita, & deſidera- „ ta, ſubſidia eriperet. „

XI.

——— *d.* 11. *Octob.* „ In communicando Specimine Heſychiano omnino caute a- „ gam. Sed quid ſi talem daret nobis hunc Gloſſographum Cl. Schrevelius, „ qualem nos deſideramus: an in bona peccaretur publica? Non certè, meo „ judicio. Et licet haec mihi de publico bene merendi occaſio eriperetur, „ non tamen otioſus delitescerem, ſed ad alia me conferrem promtiſſimo a- „ nimo. Audio tamen, Schrevelianam Editionem fervere, & jamjam eò uſ- „ que deventum eſſe, ut conſilium Editor mutare amplius non poſſit. „

XII.

MDCLXIV. *d.* 7. *Februar.* „ — — *Jo. Croii Obſervationum* adverſus Heinſium *Partem* „ legi *priorem*; an etiam *poſterior* ſit edita, me fugit; & quibus Heſychium „ illuſtrat, diligenter annotavi. Eruditum ſanè opus, cujus luce mirum in „ modum obſcuratur & offunditur lumen Heinſianum. „

XIII.

MDCLXV. *d.* 9. *Julii.* „ Forte ſub finem hujus menſis finem imponam *Obſervationi-* „ *bus* meis, quibus, ſiquidem Tibi quoque operae videatur pretium, ad- „ jungam *ſpecimen Heſychianum.* „

XIV.

——— *d.* 16. *Julii.* „ — — Etiamſi Clariſſimus nobis ereptus ſit *Schrevelius*, non „ tamen carebimus Heſychio. Cl. *Gronoviius* operi manum admoviſſe dicitur: „ hinc non *Salmaſii* tantum, ſed aliorum etiam Virorum Doctiſſimorum po- „ tiemur in eum Notis. „

XV.

——— *d.* 23. *Julii.* „ — — Mei in Heſychium conatus D. *Gronovio* ſatis noti. „ De eo coram. „

WETSTENIUS SUICERO.

I.

MDCLX. Kal. Februar. ——— „ Heſychius *dignissimus eſt* Verſione *ac* Notis *tuis. Prae-* „ *clare merebere de re litteraria. Deus addat annos & vigorem! Poſces quan-* „ *docunque velis meam opellam.* „ — —

II.

MDCLXII. d. 29. Octob. „ *Specimen Heſychianum expetito, propemodum iratus, quod* „ *non recta Editionem ipſam aggrediaris* „

III.

——— d. 26. Novemb. „ *Specimen tuum Magnif. D.* Buxtorfio *noſtro communicavi.* „ *Monebo proxime, ὡν Θεῷ, quid deſiderem. Vellem Interpretationem ſubjice-* „ *res vel adderes Heſychio, qualem Suidae noſtr. Et conſidera, annon ſatius* „ *foret, Heſychiana ſic ordine, ut habent, ponere: deinde ſubjicere, ut in Be-* „ *zae* Annotatt. Nov. Teſt. *tuas animadverſiones. Diſtrahitur corpus He-* „ *ſychii nimium hoc Specimine.* „

IV.

——— Kal. Decemb. „ *Legi, & pro data mihi à Te facultate recenſui* Specimen He- „ ſychianum. *Animadverti, praeter nuper jam monita, ſequentia.* Λίθος τὸ λαπὶς] *quid illud τὸ ſibi vult?* Λίθωνα ἀνδρὸς] *Non tam ſunt aenigmatica quam* „ *facis. Accentum muta, & ſolutum eſt aenigma. Lego:* Λίθωνα ἀνδρὸς, *i. e.* „ Libyca luſcinia. *Caetera liquida, praeter* ἰσοπαγίαζω. *quod recte ſuit emen-*

„ *datum. Cave dixeris*, morem *immolandi liberos*: feminam *notat*, *tam aper-*
„ *te, ut nequeat apertius.* ἡ Λιβύη τίκτει γυναῖκας. *Sed cur* Philomelae *dictae? pro-*
„ *pter planctum, quem edunt ob deperditos liberos. Vid. Sappho, Sophocl. Ho-*
„ *mer. cum Euſtath. Virgil. apud Suidam in* Ἀηδών, *cum Notis AEmil. Porti.*
„ *Cave genuinam lectionem nobis vendites tuum* Ἄδωνις. *Caetera libenter conce-*
„ *dam, ſed rectius rejicies ad vocem* Ἄδωνις. „

V.

——— d. 10. Decemb. „ *Nondum aſſequor, quid inſcriptum* πι *velit. Tibi Heſychius*
„ *notior. Fortean portio eſt alicujus verſiculi Jambici:* Λίβες τι λατόν. *cujus*
„ *ſi Autorem noſſemus, res confecta eſſet.* — — *Heri cum Magnif. D. D.*
„ Buxtorfio *egi de Specimine. Non habet inter ſuos Heſychium. Hoc unum mo-*
„ *nuit: Libros exoticarum linguarum ſine interpretatione addita plerumque*
„ *jacuiſſe; ac plus Editoribus nocuiſſe, quam profuiſſe. Suis omnibus, alle-*
„ *gatis Hebraice vel minimis, adjicit Verſionem; & hoc vendibiliores exti-*
„ *tiſſe putat.* „ — —

V I.

——— d. 24. Decemb. „ Λίβυσσα ἀηδὼν *recte habet: preme, tene.* — — αἰ γὰρ *ſatis*
„ *bene habet. Mihi potius* γὰρ *diſplicet, quam* αἰ. *Totum lemma erit abruptum:*
„ *& Heſychius rationem reddit proverbialis, ut puto, Nominis vel Agnomina-*
„ *tionis.* — — *Summa:* Libyca luſcinia, *eſt* femina plangens foetum deper-
„ ditum. „

V I I.

MDCLXIII. d. 18. Februar. „ *De* Bigotio *nil certi habeo.* — — *Scribit ad D. D. Bux-*
„ *torſium noſtrum, Polybiſtor. Te Deo juvante nunquam deſeram: modo etiam*
„ *juvare poſſem. Conabor. MSS plurimum poſſent in hoc propoſito; ſed un-*
„ *de vel unum?* „ — —

V I I I.

——— *J. H. BOECLERO*, d. 21. Febr. „ *Suicerus comparavit è Gallia & Bri-*
„ *tannia quaedam adjumenta. Nondum tamen in MSum ullum Heſychium per-*
„ *ventum.* „ — —

I X.

——— *SUICERO*, d. 4. Martii. „ — — *Interea Catalogum tuum vocum abſtruſa-*
„ *rum Heſychii luſtravi, cum Editionibus noſtris & Suida & Phavorino con-*
„ *tuli, adhibito Lexico Rabbinico, & ejus auctore Cel. D. Buxtorfio interpel-*
„ *lato, manum medicam inquiſivi. Omnia fruſtra & incaſſum. Niſi quod no-*
„ *vum inde apud me conſilium ortum ſit, hoc puta. Nihil mutandum ex qua-*
„ *cunque conjectura in Contextu Heſychii; ſed ita exhibendum, uti nunc ha-*
„ *bet: quamvis mendum (quod in Annotatt. facis, & recte ſic putaſti faciem-*
„ *dum) demonſtrari liquide poſſit. Nunquam adeo deſperatum credidiſſem Scri-*
„ *ptorem, uti nunc demum intelligo. Manuſcripta (quorum nulla uſquam vi-*
„ *di aut novi) exemplaria plurimum hîc poſſent. Nam videtur, ex Aldina*
„ *manaſſe reliquas omnes Editiones: iiſdem enim vitiis ſcatent omnes. Inqui-*
„ *ram in MSS Regia &c. Pariſiis: deinde quid, & quibus ſubſidiis Em.*
„ *Bigotius conetur.* „

X.

——— d. 12. Martii. „ *Heſychii MSS. dari oportet: nam unde nobis impreſſi?*
„ — — *Gaudeo te incidiſſe in* Λίβες τι λατόν. *Mea conjectura jam fir-*
„ *ma.* „ — —

X I.

——— *JO. DALLAEUS*, Jo. Fil. *WETSTENIO*, d. 14. April. „ *Cl.* Bigotius
„ *noſter te ſalutat officioſiſſime, ſibique a me tuo nomine factam de littera-*
„ *rum inter vos commercio propoſitionem avidiſſime amplectitur.* Heſychii
„ Suiceriani Specimen *cum eo communicavi, ac de altera Editione, cui eum*
„ *praeeſſe credidi, ſciſcitatus ſum. Verum hanc non* Bigotus, *ſed* Schre-
„ velius *apud Batavos adornat. Manuſcriptis aeque ac Suicerus veſter*
„ *deſtituitur; neque ballenus ulli Heſychii manu exarati Codices viſi ſunt.*
„ *Sed habet ad manum libros a magnis Viris annotatos, quibus juvatur,*
„ *exemplaria nimirum typis edita, quibus uſi ſunt* Joſephus Scaliger (&
„ *hujus quidem duo*) Henricus Stephanus, Hadrianus Junius, Salmaſius,
„ Guietus, Grentemenilius, *alii praeſertim Batavi. Sed de his plura Bi-*
„ *gotus ipſe Te docebit: ſe enim prima quaque occaſione tibi ſcripturum eſſe*
„ *pollicitus eſt.* „

XII.

XII.

——*WETSTENIUS SUICERO*, d. 6. Maji. „ *Me nihil movet Hesychius Schre-*
„ *velii. Non est ad palatum nostrum. Si me audis, non revocabis eum a coe-*
„ *ptis, sed hortaberis ut absolvat: sic enim habebis omnia ejus subsidia & com-*
„ *menta, quidve in posterum sit agendum, facilius statues. Audio sub praelo*
„ *versari opus. Ex ipsomet omnia certius percipies.* „

XIII.

——*WETSTENIUS EMERICO BIGOTIO*, d. 13. Maji. „ *Quod intercedente*
„ *amicissimo* Dallaeo *nostro, non solum* Specimen Hesychii Tigurinum *accepe-*
„ *ris, sed &* Schrevelianum *in vicem miseris, quin imo litteris propriis Lu-*
„ *tetia* d. XIIII. m. Aprilis *datis, superiori autem septimana huc demum al-*
„ *latis, plenius de Hesychiis MSS. atque Lugdunensi Editione illa docere nos*
„ *volueris; insuper etiam in posterum tuam nobis operam promiseris ultro: tam*
„ *generosae mentis, tam animi benevoli ac liberalis, tam pectoris humanitate*
„ *doctrinaque redundantis nobis repraesentavit indicia, ut quas pro iis gratias*
„ *dignas rependam, nec habeam, nec inveniam. — — Unum addo de MSS.*
„ *Hesychii, fieri aliter non potuisse, quam ut aliquod primi Editores habue-*
„ *rint; quanquam putem ex Aldino descripsisse posteriores Typographos sua*
„ *exempla. Liceat & alterum: nimirum Suicerum nostrum viso ejus Specimi-*
„ *ne admonitum, ea quae circa Λίβυσσα ἄιδρι, non tam esse διάσπαρτα, sed*
„ *apice duntaxat tralato curari, sic: ἀνδρι. Libycae autem iliae matres tur-*
„ *Lusciniae dictae, vel solus Maro dixerit sub fin.* IV. *Georg.* — — —moe-
„ rens Philomela sub umbra Amissos queritur foetus. — — — —

XIV.

——*SUICERO*, d. 14. Maji. „ *Redit ad Te Specimen Hesychianum Leidense. Si*
„ *non alius Cl. Schrevelii labor, nihil tuo nocebit: tuus innumeris commodis,*
„ *in quibus Versio praecipuum, exsuperabit.* „ — —

XV.

——d. 4. Junii. „ *Gaudeo quod Hesychiana tua fufflamines, & cum die pares, post*
„ *Schrevelianas curas edenda. Metuebam tuae valetudini ob nimiam in ope-*
„ *re pertinaciam.* „ — —

XVI.

——d. 15. Julii. „ *De Schreveliano & Tuo circa Hesychium studio satis jam an-*
„ *te. Tu illum potius incita, quam retine; si me audis. Nil tibi nocebit:*
„ *proderit non parum. Maxime, cum etiam concedat ultro, ut in tuum com-*
„ *modum transferas sua illa. Valde hoc nomine Tibi gratulor. De Cl.* Tho-
„ ma Reinesio *nihil habeo. Gaudeo eum nobiscum facere in* Lusciniis Libycis;
„ *& de caetero tibi favere. Cl. D.* M. Schookius, *Eruditorum ingens decus,*
„ *audiendus merito. Non videtur mihi consultum, ut* Specimen *denuo edas:*
„ *si ediderit suum, tum vel Specimen vel ipsum potius Hesychium excudas.*
„ *Rationes non addo, sed habeo plures.* „ — —

Hactenus Cll. VV. *Suiceri* & *Westenii* Epistolae super Hesychio motuae, quas una cum *Boldani* literis, & quae ad *Bigotium* & *Boecleruin* datae erant, mihi excerptas, ut vides, gratificatus est Cl. *Westenius*, supra laudatus, addens: „ Plura non habeo, quae addam: „ litteras enim *Bigotii Boeclerique*, licet studiose quaesitas, reperire non potui. „ Hoc itaque Catone contenti simus. Optandum autem fuisset, ut Cl. *Bigotii* literae ad manus essent, quibus de tota Schrevelii Editione, & ad eam suppeditatis subsidiis, fieremus certiores.

JACOBI PALMERII A GRENTEMESNIL,

MILITIS CADOMENSIS.

PRAEFATIO

INEDITA.

LECTORI HELLENISMI STUDIOSO.

Forte tibi mirum videbitur [1], Lector amice, virum militarem, & in literis parum celebrem (utpote qui nihil umquam praelo commiserit, nec sua studia publicaverit) *Hesychium* emendare aggredi non dubitasse: autorem, si quis alius, foedè laniatum, luxatum, diseerptum, & (ut uno verbo dicam) ἴλλυσι βρώσεως. Equidem fateor eum laborem esse satis alienum ab armorum & equorum cura, cui anteacta vita dedita fuerat: & magis decere Linguae Graecae Professorem publicum, quam Martis alumnum, & Musarum eultorem incelebrem. Sed ingravescens aetas [2], & infirma valetudo, pridem à militiae muniis nobis vacationem dedit, & otium fecit: quod in studiis impendere, melius fore duxi quam crapulam senii asseclam exhalare, vel somno & situ marcescere. Id credo non improbabis. Breves igitur *Notas* & *Emendationes in Hesychium* in usum studiorum meorum mihi reposueram, nec umquam nobis in mentem venerat eas publicare. Sed incumbentibus Amicis propositum tenere non potui. Ii enim eum quemcunque laborem ad eruditum *Schrevelium* [3], novam Hesychii ἔκδοσιν adornantem, mittere decreverunt, & qua precibus, qua authoritate, id expressérunt ut consentirem. Parui eorum jussis ἑκὰν ἀέκοντί γε θυμῷ, & id ut bene cedat, & mihi, & tibi, & rei literariae, Deum O. M. praecor. Caeterùm, si quid à nobis dictum est, quod jam ab aliis notatum fuerit (nec dubito quin talia multa sint) scito nos id ignorasse. Id certe tibi non est nocitarum; & plures in eadem emendatione consentire, scire non est inutile, nec injucundum. Si quid minus aptè nobis excidit, memento, & te & nos homines esse erroribus obnoxios, & a clamoribus abstine. Si amico animo monueris, gratias agam. Vale. Cadomi, sexto Calendas Martias, Anno Sal. Dionysiano, MDCLVIII.

1. Simile fere initium est *Praefationis* Palmerii ad *Exercit. in optim. Auct. Graecos.*
2. Natus enim est A. 1587. *Nov. Decemb.* Annum itaque hanc scribens agebat aetatis LXXI^{mum}.
3. Conf. Palmer. *Exercitat.* p. 482.

RICHARDI BENTLEII EPISTOLA INEDITA DE GLOSSIS SACRIS IN HESYCHIO INSITITIIS.

ERUDITISSIMO

VIRO

JO. CHRIST. BIEL

RICH. BENTLEJUS

S. P. D.

LIteras tuas, *Vir Clarissime*, 10. *Julii* 1714. *Brunsvigi datas*, *sero tandem accepi*, *mense Augusto exeunte*; *in quibus sententiae meae de* Glossis sacris in Hesychio, *quas ego* spurias & insititias *nusquam videri*, *dudum in sermone quodam tibi dixeram*, *rationes a me exigis*. — — *Equidem ante annos paullo minus* XXX. *adolescens id subodoratus sum*, & *in exemplari meo Notha illa jam tum uncinis* [ ] *hoc modo inclusi*, *quo mihi facilius promptiusque est*, *dum volante oculo pagellas singulas percurro*, *voluntati tuae obtemperare*.

Principio itaque aut pridem animum advertisti, *aut nunc demum* (*me monente*) *agnoscis*, *Gentilia verba omnia*, *totumque adeo Lexicon Hesychianum verum*, *ad seriem literarum tam in secundis quam primis Syllabis more Dictionariorum hodiernorum accurate institutum esse*. *Quam seriem si quando* (*ut fit*) *interruptam invenis*, *id meo fide credas velim inde evenisse*, *quod Orthographia Auctoris*, *in illis vocabulis plerumque vitiosa*, *ab Editoribus vel Scribis Librariis postea mutata fuerit*. *Hoc jam posito*, *illud*, *quod proximum est*, *jam mecum contemplare*. *Glossas illas*, *de quibus nunc agimus*, *extra seriem*, *locis non suis*, *plerasque omnes reperiri*; *certissimo opinor indicio*, *non ab Auctore profectas esse eas*; *sed a studioso quodam Christiano in exemplaris sui margine & ora vacua scriptas*, *postillâ* (*quod in aliis libris multis scimus accidisse*) *prava Exscriptoris diligentia in contextum esseditas*. *Cum autem Glossas illas prae marginis angustia lineola una non caperet*, *pluraque adeo in Textu vocabula intra Glossae alicujus marginalis caput caudamque comprenderentur*; & *ignarus & parum diligens Exscriptor conturbavit pleraque omnia*, & *extra ordinem collocavit*: Ἀζιὼ scil. *ante* Ἀζιόεντα *malo more posuit*: Ἀζὶλ *post* Ἀζιλτεία, Ἀζρὰμ *post* Ἀζεγμίζας, Ἀνθρὰξ *post* Ἀνθρίκελον, Ἀπόλλων *post* Ἀποσμὴ, μὴ Ἀποσκαρακίσῃς μα *ante* Ἀποσκύλλῃ, Ἀρὰμ *post* Ἄραρ, Ἀσάεσιν *post* Ἀσπίδι; Βαιβλὼ *post* Βαιὸν, Βαρὲχ & Βαρθολαμαῖος *post* Βαιβλία *, Βόμβας *bis*, *ante* Βόζομ & *ante* Βόμαξ; Γαλαὰδ & Γαλαλὰ *post* Γαλάσιον, Γαμσαρὲτ *post* Γίνες, Γιὼμ *bis dictum ante* Γνῦσι, Γόμορρα *post* Γόμφοις; Διάψαλμα *ante* Διαφεγγίων; Ζαζελὼν *post* Ζαάντης; Θωμᾶς *ante* Θόας; Ἰάκωβος *post* Ἴαρ, Ἰασοὺς *ante* Ἰάρεξ; Ἰὼ, Ἰαναβὰμ, Ἰαὴλ, Ἰωνᾶς *omnia post* Ἰὼψ; Κάδης *post* Κάδος, Καὶ *ante* Καλοὺς, Καπεγαὰμ *post* Καπέρναον, Καφάρνης *ante* Κεδρεμὴλ; Λάζα *post* Λαζοφόρα; Μαμβρὰ *post* Μαμμάνιθος, Μαμνᾶς *post* Μανδύη, Μανσὺς *ante* Μάνης, Μανασσῆς *post* Μανδύη, Μαρανθὰ *ante* Μάρσια, Μαλθαῖος

* [Βαρναβᾶ post πᾶν.]

θαῖος *post* Μαβυλλεῖον, Μιχαίας *ante* Μισοῦ, Μνᾶ *post* Μνήμη; Ναβὰν *post* Ναικιον., Νεφθαλείμ *ante* Νίγωτον, Νισσὰν *post* Νισσιαξ; Ὀζίας *post* Ὄζος; Παῦλος *ante* Παβαλοίας, Πέξος *post* Πέδιλ; Ῥαχὴλ & Ῥαμὰ *ante* Ῥαβδόνημα (*quod Hesychii peccatum est pro* Ῥαψῴδημα) Σαβὰ & Σαβὲκ, *illud post* Σαβάζων, *hoc ante* Σαβάζιος, Σαραβάρα & Σαδδαῒ & Σαβαὼθ, *hoc post* Σαβάεις, *illa ante* Σάβδην; Σεδὲκ *post* Σκελλίζει, Σευῆνες *post* Σειφὶ, Σιλαὰμ *post* Σιμοῦς, Σόδομα *ante* Σόγχος, Σοὺρ *post* Σορμὸς, Συφὲς *post* Σοφία; Ταβὴλ *ante* Ταβάλα, Τάλαντον *ante* Ταλαντεῖον, Τὰ ὅπλα *post* Τάπιδες, Τερέβινθος *post* Τετέλεσται; Ὑψιστάειος *post* Ὗσον; Φακεὶ *post* Φάκται, Φαρισαῖος & Φαρρὰ *ante* Φάλαινα, Φίλιππος *post* Φλέβες; Χανὰ & Χανάβις & Χαναὰμ, *hoc post* Χάσαι, Χαρὰ *bis post* Χάρμης & *post* Χαράνων, Χεμβρὰν *ante* Χείρειος; Ὠβρὰμ *ante* Ὤβρατο, Ὢν *ante* Ὠδαῖς, Ὠσηὲ *post* Ὠχοφόρια, Ὠσίων *post* Ὤων. *Haec omnia & plura fortasse, quae properantem me effugerunt, prave locisque alienis, prorsus contra solemnem in Gentilibus & indubitatis vocabulis Lexicographi hujus morem, intrusa esse, jam vides: idcircoque spuria ea & supposititia jure merito habenda esse nemo non videat. Nam quod pauca quaedam, ut* Ἀβραμαῖος, Ἀδαμὰ, Γάζγης, Δάμασκος, Δανιὴλ, Ἐδὲμ, Εὐφράτης, Ἰὰ, Ἰάκωβος, Ἰωβὰλ, Ἰούδας, Καὶ ἐπεστήριξας, Καὶ λεπτυνεῖ, Λαμῶν, Μαελὼθ, Μάρκος, Μωσῆς, Ναζιραῖος, Νεκόεγς (*corruptum pro* Νεωκόρος, *quod vide suo loco*) Νῶε, Ῥαμὰς, Σαραφὶν, Σίκιμα, Τίγρης, *& si qua forte alia, suis locis rectaque serie conspiciuntur, id casu evenit; neque aliter fieri potuit, nisi non indiligentia, sed consulto & dedita opera (quod non puto, prorsusque absurdum est) Librarius ordinem conturbasset.*

Sed & aliud jam vide magnum signum fraudis & falsitatis. Probe credo nosti in Codicibus MStis fine singulorum opusculorum, & in Lexicis fine singularum literarum, si quid paginae supererat, purum id & scripturae vacuum fere a Librario relictum esse. Ea spatia, qui libros illos postea possidebant, alienis saepe fragmentis nihilque quicquam ad Scriptorem attinentibus complere soliti erant: quod ipse, dum Codices ejusmodi manu verso, saepe bis oculis conspexi. Ad hunc morem vide quas nugas Christianus ille Hesychio suo interserit fine literae Λ, *post* Λῶτ; *quod vocabulum serie utique literarum servata postremum omnium fuerit necesse est.* Ἦδος, *inquit*, ἱκανὸς ἐπειδὴ ὁ Μαδαῒ κτίστης τῆς μηδίας *&c. quae sic emendanda sunt*, Μῆδος, ἱκανός· ἐπειδὴ ὁ Μαδαῒ κτίστης τῆς Μηδίας. *Vid.* Gen. X. 2. *Vult ab Hebraico* מדי mensus est, *vocabulum hoc deduci. Postea* τὸ Λῶτ *interpretatur; verum inde uncinis ea eximenda sunt* [Ἐτυμπανίσθησαν, ἐπρίσθησαν] *quae ad literam* E *pertinent, ut sane ibi habentur itidem spuria, cum extra ordinem veniant post* Ἐτύμως. *Deinde quod ad literam* A *referendum erat, sic digere & uncinis coerce:* Ἀσπάλαξ. μῦς τυφλὸς, ὁ τῆς γῆς τρυπῶν. *Pari modo fine literae* I *plura acervatim ingesta vides; & fine literae* Ω *integram habes paginam a manu aliena post* Ὤων, *qua voce Lexicon suum Hesychius finiebat: caetera adventitia sunt, priora a Gentili Grammatico petita, posteriora a Christiano.*

Satis opinor diximus; sed ecce aliud tibi argumentum majus fortiusque. Cum librarius ille (nam illud obiter notandum, unicum superfuisse Hesychii MStum Codicem, ex quo Aldinae & caeterae Editiones prognatae omnes sunt) spuria illa in Textum insereret, adeo male rem gessit, ut eadem verba legitima & ante & post emblema illud novum interdum iteraries; nonnunquam in ipso emblematis circuitu legitimum cum interpretatione sua verbum quasi captivum clauserit; est ubi mediam verbi legitimi interpretationem emblemate notho diviserit, & interruperit. Ἀφόβιος, θρασὺς, ἄπιστος [Ἀφωρισμένος, ἐκλελεγμένος, διακεκριμένος] Ἀφόβιος, θρασὺς, ἄπιστος. *Bis eadem poni vides, propter illud insititium: quod & loco non suo hic conspicitur. Similiter ob spurium illud* Δραχμὴ, *loco itidem alieno, bis habes & iisdem verbis explicatum* τὸ Δελον: *bis porro &* Ὀνοκλίδιος *ob alienum illud* Ὀνοκένταυρος: *bis denique* Σαυκρὸν (*nam mendosum est* Σαυαρὸν) *quia* Σάτον (*sic lege, non* Σάτων) *mala manu intrusum erat.* Ἀπφὰ, πατρὸς ἡ διπλασία χάρις [Ἀπφὺς, ὁ πατήρ] ἢ πνεύματος ἁγίου διπλῆ ἐνέργεια. *Hic verbum legitimum e Theocrito haustum in medio emblemate strangulatur. Rursus in voce* Ῥόμβος, *legitima Auctoris interpretatio malo spurioque emblemate quasi cuneo diffinditur:* Ῥόμβος. ψόφος, στρόφος, ἦχος, δῖνος, χῶνος, ξυλήφιον (*sic lege*) οὗ ἐξῆπται σχοινίον, καὶ ἐν ταῖς τελεταῖς δινεῖται [Ῥομελίας, μετέωρος περιτομῆς] ἵνα ῥοιζῇ· τοῦτο αὐτὸ καὶ ἰχθύς τις πλατύων, καὶ ὁ ἐν τοῖς δεσμοῖς γόμφος. *Sic corrige, quae mendosa hodie feruntur,* ἐναρίζη, τοῦτο αὐτό: *& verte spuriis illis sublatis:* Rhombus — in initiationibus rotatur, ut strepitum edat: idem verbum & piscem notat &c. *Eant nunc, qui volunt, & ipsi Hesychio haec portenta attribuant.*

Quid quod eadem omnia, quae hic visuntur, ex Christianorum Lexicis, qualia plura & ego & tu vidimus, αὐτολεξεὶ *traducta sunt. Sylvam horum habes in* Hieronymo *Martianaei,* volumine secundo. *Ibi omnia fere Pseudo-Hesychiana, & multo plura reperies; quorum collatione mutuum lumen interdum accenditur.* Ῥομελίας, μετέωρος περιτομῆς *apud Hesychium: apud alterum p.* 234. Ῥομελίας, μετεωρισμὸς ἢ περιτομή: *lege utrobique,* μετεωρισμὸς περιτομῆς, רם מילה. *Hesychio est* Ἀβδιοὺ, Ἐξμολ δοῦλος ἐξομολογητός; *at illi alteri p.* 183. ὁ δοῦλός μου ἐξομ. *Unde illud profanum* Ἐξμολ; *ex mendo nimirum natum quippe emendandum,* ἐξομ. *i. e.* ἐξομολογ. *Sed taedet ineptorum hominum commentis morari. — Vale, Vir Doctissime, & me amare perge. Dat. Londini Aug.* 30. 1714. *St. Vet.*

FRANC.

FRANC. SEVINI
ET
CLAUD. SALLIERII
EPISTOLA INEDITA
DE
NOVA HESYCHII EDITIONE.

AD

JOANNEM ALBERTUM FABRICIUM

V. C.

FRANCISCUS SEVIN
ET
CLAUDIUS SALLIER,

S. P. D.

Opportunerat jam pridem satis fuisse factum a nobis, Vir Eruditissime, tuo inquirendi studio *de editione Lexici Hesychiani*, quomodo se habeat. Agendae pariter tibi fuerant grates amplissimae pro *specimine emendationum* quod in hunce nostrum Lexicographum ab illustrissimo *Bignonio* tuo nomine accepimus. Sed multa moram hactenus nostrae fecerunt voluntati. Cum litterae nobis a te redditae sunt, instabamus operi quod nobis perficiendum esse summa diligentia dixeramus, non modo ut litteratorum votis & efflagitationibus haud segniter annueremus, sed etiam ut grata memoria prosequeremur eorum auctoritatem qui Spartam hanc adornandam nobis commiserant. His adde quod labor quem susceepimus, is esset quo sine difficultate maxima non potuimus defungi, adeoque nobis vix licitum fuit animum aliò avertere. *Ludolphus Kusterus* cujus vicarii successimus muneri, *septem priores* duntaxat *litteras* notis suis illustraverat, & pauciora quam expectari potuerunt, certe minus multa quam exoptaveramus, in reliquis ad nos transmisit. Iis quae reperimus, postquam ejus *adversaria* excussimus, quanto plura collegisset sensimus qui non semel ipsi opus urgenti, animadversionesque texenti adfuimus, sed ea plurima uni memoriae rerum inventarum thesauro & custodi mandaverat, simulque musaeum subiisset, & signum quasi deprehendi cum Hesychianis mendis dicamne an monstris dedisset, omnia ipsi ad nutum succurrebant. Quando vero nobis illa magna deessent ex parte, fuerunt improbo labore comparanda. Sed tandem, quod faustum fortunatumque sit, *res in eo est, ut jam nunc exerceantur praela in edendo Hesychio.* Studium & cogitationes in hoc intendimus, ut emendatior legi, minore negotio intelligi, atque uberiores fructus afferre posset legentibus ille grammaticorum diligentissimus. Ea fuit igitur nobis cura, quantam adhibere potuimus, depravata loca restituendi, obscura declarandi, & rariores, quaeque minus usitatae possent videri voces, exemplis

confirmandi. Non tamen id nobis ſumimus ut illum ſcriptorem operâ noſtrâ emaculatum eſſe omnino conſcamus, & plane explanatum; *non unum res haec, nec duos* duntaxat viros deſiderat quae tot alios & tanti nominis diu tenuit occupatos, atque etiam impeditos. Quis enim illud confidenter ſpondeat aut omnia deprehenſurum ſe σφάλματα, aut omnia ſanitati redonaturum ſe loca quae medicam manum requirunt? *Heſychii ipſius* Lexicographi *multi* videntur eſſe *errores*, quique ejus ἀκεσία non alterius cujuſcunque tribui debent. Saepius *voces affinis ſoni* ſed diverſiſſimae ſignificationis commiſcuit; nonnunquam vocibus addit *interpretationes* quae *non* illis *abſolute*, ſed tantum *in certis phraſibus & locis* ſcriptorum conveniunt. Hinc fit ut Lector cum ignoret ad quam phraſium vox haec referenda ſit, divinare nequeat quid ſibi velit Heſychius. Notavimus quaedam loca in quibus *interpretatio* non pertinet ad poteſtatem vocis quam exponit, ſed *ad varias* ejus *lectiones* quas reticet. Si per verba quae ſubjungit cuidam vocabulo, interdum exponas hoc prius, mirum quantis te impliciturus ſis erroribus. Fruſtra ſit qui ſemper quaeſiverit in Linguae Graecae ingenio & ſermone ſignificationes quas refert ineſſe nonnullis *vocibus exoticis*. Quid juvaret contendere his omnibus errorum criminibus purgari poſſe Heſychium, nec ab eo profectos quos hic in medium nunc attulimus, ſed ab inverecundo interpolatorum animo, ab incuria librariorum, vel ab imperitia ſcribarum, vel ab ipſa denique vi vetuſtatis omnia perdentis. Novimus has afferri poſſe exceptiones in gratiam Heſychii. Nequaquam enim dubitamus quin *Heſychius alia fere ſit forma* quam qua ſuit cum e manibus auctoris prodiit in lucem. Id nemo neget qui duxerit operae pretium ſplendidas pollicitationes quae continentur operis praefatione, conferre cum ſcripto quo fidem praeſtitiſſe & nomen ſolviſſe dicitur. Nec una haec erit cauſa Lexicographum perluſtranti, animum inducendi, *interpolatum* omnino fuiſſe Heſychium. Quanta vero paſſus eſt a *librariis?* Hi graviſſima inflixerunt omni ſcriptorum generi vulnera. Dici autem vix fas eſt quam male Heſychium acceperint. *Voces ex ſebolio praecedenti tranſtulerunt in ſequens*, aut *vice verſa ex ſequenti in praecedens; articulum* vocis *cum voce conjunxerunt* in unam, adeoque ſeriem literarum interturbaverunt; *litteras permutarunt;* ab iis non raro *vox una* fuit *in duas dirempta;* voces ſunt *truncatae, litteras initiales* verborum vel errore & negligentia, vel conſuetudine ſcribendi *abjectae*. Quid plura? Longum eſſet omnium mendorum cauſas, & omnia vitiorum quae inſecerunt Heſychium genera, oratione perſequi. His contenti erimus annotatis, maxime apud te, Vir Eruditiſſime, qui ſaepius exemplaria Graeca manu verſaviſti, & penitus introſpexiſti; ſed hinc liceat nobis inferre rem videri fere *ſupra vires unius ſaeculi, ut ubique reſtituatur* in Heſychio vera legendi ratio, non eo tantum quod fieri nequit ut ſemper obverſentur animo eorum quibus haec demandata ſit provincia, omnia quae nunquam non ipſi intuedere neceſſe eſt, ſed quod ii debeant habere in numerato plurima quae vix unus aut plures conſequantur. Immo quis aſſerat carere poſſe ſe ſine erroris periculo multis veterum ſcriptis quorum labores ab Heſychio conſtat eſſe depaſtos, quaeque ſcripta vim vetuſtatis omnes bellas & bonas litteras rapientis, damno noſtro ſenſerunt? Illud igitur debet eſſe propoſitum non ut Heſychius quam optime curetur, ſed ut minus male ſe habeat, non ut omnes eluantur ab eo maculae, ſed ut pauciores ipſum deforment. Hic noſter fuit ſcopus, & hoc unum in nos recipimus effectum fuiſſe. Multum vero profuerunt nobis tum *Henrici Valeſii* ſummi & omni laude digniſſimi viri notae, tum *manuſcripti Lexicorum* quorumdam *codices* qui *hic* aſſervantur in Bibliothecis. Jam vero quod ad te mitti poſtulaviſti operas *Ludolphi Kuſteri noſtraeque Specimen*, hic accipe. Recte collocatam hanc & magno cum fructu arbitrabimur, ſi tibi potuerimus eam approbare. Monendum te cenſemus, quod non omnes notas tractim in Heſychium concinnatas ad te voluimus exſcribi, nonnulla e pluribus ſelegimus, ut poſſes inde conjicere quantum liceat augurari de noſtra editione; alioquin in majus volumen excreſceret Epiſtola noſtra quae forte jam longior diutius te moratur; imo cautum fuit a nobis ne pluribus explicaremus has quas epiſtolae adjunximus adnotationes, veritis ne longiori uteremur ſermone. Satis viſum fuit ad alia properantibus, digitum ad fontes intendere. Aliter ſe res habebit in operis noſtri decurſu.

Unum addimus, Vir Eruditiſſime, rogamuſque ut tua nobis non deſint conſilia cogitantibus de inſtruenda *Plutarchi* operum *Editione Graeco-Latina*, ſi fata ſiverint. Plurima jam adjumenta ſuppetunt nobis, nempe comparavimus *Plutarchum* qui fuit quondam doctiſſimi Viri *Emerici Bigotii*, eſtque *notis* ipſius manu locupletatus. *Gaſparis Bachetii Meziriaci* animadverſiones in manus noſtras ſecunda fortuna detulit, & certo ſperamus brevi fruituros nos viri ſupra laudem *Iſaaci Caſauboni* notis in eundem ſcriptorem. Expectamus *ab Italia collationem* Manuſcriptorum praeter eam quae fiet hic cum Manuſcriptis Bibliothecarum *Regiae, Coiſlinianae* & *Colbertinae*. Multa jam hinc & illinc adnotavimus noſmet ipſi, & *cui* Θεῷ rem videmur feliciter conſecturi, ſed juvabit a te accipere quae videbuntur huic editioni bene componendae profutura.

Vale, & nos ama qui tuae virtuti gratulamur ex animo.

Pariſiis
1. *Jul.* 1720.

JO.

JO. ALB. FABRICIUS

IN

BIBLIOTHECA GRAECA,

L. IV. *Cap.* XXXV. (*Vol.* IV. p. 540. & seqq.)

DE

LEXICIS BIBLICIS,

ET

GLOSSARIO HESYCHII ALEXANDRINI.

Lexica Biblica Philonis, Origenis, Eusebii, Cyrilli &c. 1. Hesychii Alex. Glossarium. 2. Ejus editiones, ibid. Hesychius ille diversus ab Hesychio Milesio. 3. Plura de illo utilissimo glossographo, ejusque usu multiplici & defectibus. 4. 5. 6. editiones promissae & virorum doctorum in eo emendando industria. 7. Jo. Viti Pergeri castigationes & notae eruditae MSS. ibid.

I.

Duplicis generis *Lexica Biblica reperio: aut enim nomina propria Hebraicave interpretantur; aut verborum Graecorum, sed obscurorum, vel peculiari ratione acceptorum, sensum exponunt. Inter prioris generis Dictionaria nihil olim fuit celebrius libro Hebraicorum nominum PHILONIS Judaei, qui etiamnum modo sub ORIGENIS, jam sub CYRILLI Alex. jam sub nullo autoris nomine Graece supersest in variis Bibliothecis & inscribitur:* Ἑρμηνεία ὀνομάτων καὶ λέξεων Ἑβραϊκῶν τῆς τε παλαιᾶς διαθήκης ἱστορικῶν καὶ ποιητικῶν. *Latine sed plurimum mutatus & interpolatus jam pridem & frequentissime excusus fuit inter opera* S. Hieronymi, *qui in praefatione ita scribit:* Philo, vir disertissimus Judaeorum, Origenis quoque testimonio comprobatur edidisse librum Hebraicorum nominum, eorumque etymologiam juxta ordinem literarum è latere copulasse. Qui cum vulgo habeatur à Graecis, & bibliothecas orbis impleverit, studii mihi fuit in Latinam eum linguam vertere. Verum tam dissona inter se exemplaria reperi, & sic confusum ordinem, ut tacere melius judicaverim, quam reprehensione quid dignum scribere. Itaque hortatu fratrum Lupuli & Valeriani, qui me putant aliquid in Hebraeae linguae notitia profeciisse, commotus, singula per ordinem scripturarum volumina percurri, & vetus aedificium nova cura instaurans feciisse me reor, quod à Graecis quoque appetendum sit. *Neque vero alia fuit ratio mirificae illius exemplarium libri Philonis discrepantiae, quam quod in omnium manibus cum esset, quilibet sibi putaret integrum pro libitu illud interpolare, addere ac demere, quodcunque visum fuisset. Et quoniam Origenes, uti versionis septuaginta interpretum, ita hujus quoque Philoniani operis, recensendi curam in se fuscperat, praeterea, quod Philo in nominibus V. T. hoc Origenes, teste eodem Hieronymo, in nominibus N. T. fecerat, suumque laborem Philoniano subnexuerat, hinc factum, ut in quibusdam codicibus integrum Origeni Alexandrino tribueretur, cujus utpote à multis damnato nomini quidam deinde nomen Cyrilli, itidem Alexandrini, substituerunt. Quod admodum molesse ferat vir doctus Isaacus Vossius Cap. XVI. libri de Sibyllinis oraculis:* Libellos Hieronymi de explicatione nominum Hebraicorum à Judaeis concinnatos fuisse extra dubium est. In multis etiamnum bibliothecis Graece superfunt; & constat Origenem eos suis inseruisse operibus. In Lexico necdum edito, quod Cyrillo tribuitur, (*in codice MS. Bibl. Bremensis,* Κυρίλλου εἰς τὰς ἑπτακαίδεκα λέξεις τῆς ἁγίας γραφῆς) ad calcem subjunguntur istae Hebraicae expositiones. Attamen Lexicon istud non est Cyrilli, sed Origenis, sive potius Judaeorum à quibus Origenes accepit. In veteri meo libro, erasis Origenis nomine, Cyrillo adscribitur; quod ipsum quoque in aliis factum fuisse observavimus exemplaribus. Et sane nescio, quo fato contigerit, ut tam multa Origenis opera praeposteto tanti viri odio attributa sint Cyrillo, homini neque doctrina neque

probitate alteri comparando. *Caeterum Origenis ἐξηγητὰ τῶν Ἑβραϊκῶν ὀνομάτων laudatur etiam à Juſtino juniore, quaeſt. 82. ad Orthodoxos, qui iterum quaeſt. 86. Origenem omnium quae in ſacris Scripturis occurrunt, Hebraicorum nominum ac menſurarum interpretationem edidiſſe affirmat. Neque vero id negatur à Ruſino, cum invectiva 2. in Hieron. p. 151. ait,* ſe nec unum locum ex Scripturis divinis de Hebraeo ab Origene invenire tranſlatum; *quae Ruſini verba obiter inſpexit praeſtantiſſimus Huetius lib. 3. Origenianor. p. 265. Ruſinum reprehendens. Nihil autem magis commendat novam Operum Hieronymi editionem à Johanne Marcianaeo Benedictino Pariſiis adornatam, quam quod ſecundo tomo A. 1699. vulgato non tantum Hieronymi librum de nominibus Hebraicis longe emendatiorem, ſed & Graeca Philonis atque Origenis ex variis MStis codicibus exhibet, ut promiſerat in epiſtola, quae legitur in Ephemeridibus Eruditorum Gallicis Anni 1696. p. 455. In eodem ſecundo tomo exſtat liber ſive Lexicon de locis Hebraicis, quem de Graeco Euſebii Hieronymus tranſtulit, quique Latine tantum occurrit in iis, quae ante vulgatae erant Hieronymi editionibus. De eo dixi ſupra libri hujus quarti Cap. 2. Nunc tantum addere licet, multa ejus libri poſt Bonfrerii, Marcianaei, & Johannis Clerici curas feliciter & certiſſime emendata atque nova luce perfuſa eſſe à Viro Clariſſimo Jacobo Rhenferdo, in Exercitationibus Philologicis, Franequerae A. 1707. editis ad loca deperdita & depravata Euſebii & Hieronymi, de ſitu & nominibus locorum ſacrorum.*

II. *Alterum genus Lexicorum Biblicorum eſſe dixi, quibus verba LXX. Interpretum vel Novi Inſtrumenti Graeca quidem ſed obſcura vel ſingulari ſignificatione accepta explicantur. Talia olim extitere forte complura, & ſub Cyrilli Alex. nomine hodie in Bibliothecis occurrunt. Talibus quoque uſum eſſe conſtat, ipſummet non abſurde illis accenſendum auctorem gloſſarii quod ſub HESYCHII Alexandrini nomine extat. Quamvis enim idem infinita explicet Poëtarum & aliorum τῶν ἔξω ſcriptorum loca, tamen dici non poteſt quam multa etiam Graecae verſionis librorum ſacrorum V. T. ſcriptorumque Novi foederis ab eo praeclare illuſtrentur. Hujus utiliſſimi ac pene neceſſarii omnibus ferio Graeca tractantibus Gloſſarii unicum, etſi non uſque quaque emendatiſſimum exemplar fauſto omine pervenit in manus Joh. Jac. Bardelloni, qui id Aldo Manutio excudendum tradidit. Prima itaque Heſychii editio Venetiis, Anno poſt Chriſtum natum 1513. fol. ex Aldi officina luci publicae expoſita eſt, quam mox Florentina anni 1520. & anno poſt Hagenoënſis, utraque in fol. excepit. Atque hae omnes Baſileenſem Lexici Heſychiani ἔκδοσιν anteverterunt; ut falſus fuerit Voetius, cum in Bibliotheca Studioſi Theologiae p. 373. ſolam editionem Heſychii Baſileenſem exſtare credidit. Denique Patrum noſtrorum aetate Heſychius elegantiſſime Lugduni Batavorum Anno MDCLXVIII. in 4to. eſt typis exſcriptus, cui bortatu & adminiculis viri inſignis Emerici Bigotii, curante & digerente Cornelio Schrevelio, Adriani Junii, Joſephi Scaligeri, Claud. Salmaſii, Jac. Palmerii Grentemenilii, Godfr. Sopingii, Franciſci Guieti & Jo. Cocceji, Joh. Frid. Gronovii, Tan. Fabri & aliorum doctorum hominum emendationes ſingulis ſubjectae paginis acceſſere.*

III. *De auctore quis qualiſve fuerit, ſolliciti animadvertimus Adrianum Junium in adagio Βυγαῖος & βυθάρας ex loco Euſtathii ex Herodiano citantis, quae in Heſychio noſtro leguntur, male colligere vel ſuſpicari Herodiani eſſe Lexicon iſtud, quod nos Heſychii appellamus. Sed Heſychius ipſe in praefatione ſe paſſim veſtigia legere Herodiani teſtatur. Caeterum non in veteribus tantum Lexici, de quo ſermo nobis eſt, editionibus praefixa eſſe Suidae verba, quibus de Heſychio Mileſio agit, ſed idem quoque in Schreveliana accidiſſe video, perinde ac ſi Heſychio Lexici Authori aliquid cum Mileſio illo commune eſſet. Quod merito mirum alicui videri queat; etſi Schrevelio forte non eſt imputandum, quem ante abſolutam editionem vita exceſſiſſe accepimus. At enim Autorem Lexici non Mileſium hominem, ſed Alexandrinum Grammaticum, codex Bardelloni manu exaratus appellat; ut hunc quaerentibus de illo ne cogitandum quidem eſſe, & qui utrumque confundit, ſi non toto coelo, certe totis regionibus aberrare videatur. Quod monere ſuſque deque habuiſſem, niſi viderem, viros doctos aliquando iſthoc errore imprudentes abripi; ex quibus unum jam liceat adducere Martinum Hanckium, qui pag. 145. eximii operis de Byzantinis ſcriptoribus inter judicia de Heſychio Mileſio, doctiſſimi Grammatici encomium repoſuit, quod Lexicographo noſtro tribuerat vir acutus Richardus Montacutius. Ejuſdem eſt erroris quod Guil. Budaeus in libro de Aſſe, & poſt eum Georgius Agricola in opere de menſuris & ponderibus, Heſychium Lexicographum Anaſtaſii Imperatoris tempore vixiſſe dicit, cum de Heſychio Mileſio id Suidas affirmaſſet. Nec ex alio fonte eſt, quod ad annum Chriſti 500. refertur Heſychius in cenſura celebrium Auctorum ante paucos annos edita à Baronetto Anglo Thoma Pope Blount.*

IV. *Ecquis vero Alexandrinus Heſychius ille fuerit, quando vixerit, quae munera geſſerit, nemo forte eſt hodie, qui nos certo docere poſſit. Equidem Chriſtianis ſacris initiatum fuiſſe tam eſt certiſſimum, quam falſum eſt, quod affirmat Suidas, Heſychium Mileſium a Chriſti nomine alienum fuiſſe. Nam & Mileſium iſtum, qui Illuſtris etiam compellatione celebrari meruit, fuiſſe Chriſtianum, ex nomine Johannis, quo filium ejus gaviſum eſſe Photius cod. XLIX. auctor eſt, & ex aliis argumentis a Meurſio Hanckioque productis facile conſtat: neque firmum eſt, quod pro contraria ſententia rationis loco Suidas adjicit, ὅτι ἐκλογιστικὸν ὑβρίζει μνημονεύῃ, cum ipſius quoque Chriſti, honorificam, ubi de Sibylla agit, mentionem*

nem faciat. Longe autem eſt ilquldius, Lexicographum Heſychium non accenſeri debere paganis, uſque adeo ut hunc non minus quam Suidam Monachos fuiſſe conjecerit Eraſmus Chiliad. 3. centur. 6. adag. 58. Ac Suidam quidem Monachum appellavit etiam Scaliger. ad Varronem, & Adrianus Bailletus in doctorum Judiciis Gallice editis T. 3. pag. 125. Et Johannes Bona Cardinalis in notitia auctorum, quibus in Pſalmodia ſua uſus eſt, Suidam Monachum Byzantinum dicere non dubitat, ſecutus, ni fallor, Demſterum in Antiqu. Rom. etſi, quo veteri autore hoc aſſeratur, incaſſum ſollicitus ſit elegantiſſimus Menagius cap. LXXVII. Antibailleti. Heſychium autem qui, excepto Eraſmo, Monachum vocaverit, hactenus quidem potui reperire neminem. Chriſtianum tamen eſſe, plurimi jam animadverterunt, & argumentis non inficiandis oſtendit Caſaubonus ad Athenaeum, lib. I. c. 9. ut Schrevelii praefationem ſilentio praeteream. Infinita ſunt non tantum Novi Foederis, ſed & LXX. Interpretum loca, quae illuſtrat explicatque Heſychius; Aquilam quoque καὶ τοὺς ἑ Ἑβραϊκὸν φωνὴ μεταβάντας λοιποὺς memorat. Praeter Patriarcharum, Prophetarumque & Apoſtolorum, CHRISTI denique ipſius nomina, aliquot etiam Phoeniciae nominum Hebraicorum etymologiae, ut Abelis, Abdiae,* Abraami, Adami, Amoſi, Danielis &c. apud eundem occurrunt; de quibus confer, ſi placet, Joh. Marcianaeum ad S. Hieronymi librum de nominibus Hebraicis T. 2. f. 90. ſeqq. & Richardi Simonis Epiſtolas Criticas Baſileae excuſas, pag. 191. ſeqq. Spiritus Sancti meminit Heſychius his verbis: Ἄωφδ. Παῖδες ἡ διπλασία χάρις. Ἄωφὺς, ὁ πατὴρ, ἡ πνεῦμα· ἁγίου δηλῶν εἰσηγεῖται. ubi verba Ἄωφὺς, ὁ πατὴρ praemittenda ſunt, & deinde conjunctim legendum: Ἄωφὺ, παῖδες ἡ διπλασία χάρις. ἡ πνεῦμα· ἁγίου δηλῶν εἰσηγεῖται. reſpicitur autem † locus IV. Reg. II. 14. in editione ſeptuaginta Interpretum; ad quam emendandam illuſtrandamque porro quantum auxilii afferre Heſychius valeat, docere harum litterarum ſtudioſos vir ſummus Johannes Pearſonius poteſt, cujus luculenta exſtat editioni ſeptuaginta Interpretum Londinenſi, Cantabrigienſi, & noviſſimae Amſtelodamenſi ac Lipſienſi praefixa, quamvis nomen ejus primis tantummodo literis ſubſignatis innuit, praefatio. Docere idem poſſunt Johannes Druſius, Iſaacus Voſſius, Bochartus, & nuper Lambertus Boſius, pluresque alii eruditiſſimi & ſacrarum literarum ſtudioſiſſimi viri, Johannes denique Pricaeus & Henricus Hammondus, qui etiam, quam utiliter Heſychius ad illuſtrandum Novum Foedus adhiberi poſſit, poſt Danielem Heinſium in ſuis commentariis egregie oſtenderunt. Atque utinam vel Pearſonio, vel Pricaeo, quorum uterque Heſychii ἔκδοσιν molitus eſt, tam inſignem laborem tamque utilem in literarum, ſacrarum proſertim, bonum obſolvere licuiſſet.

V. Haec pridem cogitanti mihi in mentem venit, an ſorte Heſychius Alexandrinus, cujus editio Graeco veteris inſtrumenti Hieronymo aliiſque celebratur, quique tertio poſt Chriſtum natum ſeculo floruit, pro primo ac praecipuo autore hujus Lexici habendus eſſet. Atque hanc ſuſpicionem meam tum in diſſertatione de numero ſeptuagenario §. XVI. tum in diſſertatione, quam A. 1689. de Lexicis Graecis edidi admodum adoleſcens, publice prodidi; quam ita volui intellectam, ut a poſteriore manu non pauca illi acceſſiſſe ſimul exiſtimarem, qualia ſunt Diodori Tarſenſis, Cyrilli, Ambroſii & Epiphanii mentio, item barbara quaedam, & alia, quae manifeſto poſteriorem aetatem innuunt. Cujus generis additiones acceſſioneſque tum commune Lexicorum fatum, tum illud magis credibiles reddet hominibus minus pertinacibus, quod gloſſarium Heſychii truncatum maleque habitum etiam omnium confeſſione eſt eruditorum. Ac ſi Stephanus Lemonius, vir eruditiſſimus, in notis ad Varia Sacra pag. 867. non dubitavit affirmare, Origenis Lexicon latere ſub iſto Heſychiano, neſcio, magiſne ſit credibile quod à nobis affirmatum eſt, Heſychii Lexicon in Heſychii Lexico reperiri. Quamvis itaque me non fugit, à Grotio ad Gen. XXVI. 33. Stephanum Byzantinum Heſychio Lexicographo tanquam antiquiorem praeponi, & virum clariſſimum Wilhelmum Erneſtum Tentzelium τὸν μακαρίτην Part. 2. Diſſ. ſelect. p. 124. eundem Heſychium ſeculo ſexto putare recentiorem: qui proinde in dialogis ſuis menſtruis A. 1689. p. 1242. immanem Chronologicum errorem commiſiſſe me, totiſque adeo ſeculis aberraſſe olim pronunciavit, nullum tamen hic ſeculo ſexto juniorem Heſychium demonſtrare potuit, cui illud gloſſarium probabili opinione, nedum certa ſententia tribuatur. Itaque necdum conjecturae meae poenitet. Moneo etiam in illa ſententia confirmatum iri, qui cum Heſychii gloſſario diligenter contulerit lectiones MSti codicis Alexandrini ſeptuaginta Interpretum, quas Angli ediderunt, ſive quae illum ex aſſe exprimit, editionem Clariſſimi Grabii. In iſto quippe codice Alexandrino referri ἔκδοσιν Graecae verſionis Heſychianam Iſaaco Voſſio, Ezechieli Spanhemio, aliiſque viris doctis obſervatum. Nec miretur aliquis, ad tertium a Chriſto nato ſeculum à me gloſſarii hujus primum autorem reduci, cum vir praeſtantiſſimus Thomas Hyde libro ſecundo de ludis Orientalium p. 156. ambiguus haereat, utrum Pollucem Heſychius, an Heſychium Julius Pollux, ſecundi à Chriſto nato ſeculi Grammaticus, exſcripſerit.

VI. Non autem ad illuſtrandos LXX. Interpretes tantum, Novique Inſtrumenti libros utiliſſimus eſt Heſychius, ſed & omni generi Graecorum autorum, Poetarum potiſſimum, per-

* Pro Ἀλλὶ ἰρωὶ ϗλϑ· leg. ex MS. libri nominum Hebr. ὁ δλλὶ μου notante Marcianaeo. [*Sed vide ibi Notas.*]
† Vide Dan. Heinſii Prolegom. ad Ariſtarchum S. p. 663. edit. in fol.

perdiſcendo mirifice facit; unde ad intelligendos Poetas, inque his Principem inprimis Homerum, recte Heſychii gloſſarium commendavit Ludovicus Vives in aureo opere de tradendis diſciplinis. Etiam ad Hippocratem interpretandum maximo adjumento fore Heſychii Lexicon Scaligero viſum eſt. Nec fugit Meurſium ratio, Graecarum literarum, ſi quis alius, callentiſſimum, cum Lexicon iſtud antiquae eruditionis penu *pronunciavit Libr. I. Miſcell. Laconic. cap. XIII. Et quis omnia eruditorum hominum encomia atque laudes, quibus Heſychium noſtrum paſſim proſequuntur, ex eorum ſcriptis velit colligere, aut ſi velit, propter multitudinem atque frequentiam facile poſſit? Nam ut elogia a Bailleto & Thoma Pope Blount collecta praeteream, nihil certe in Salmaſii, Caſaubonorum, Voſſiorum, Heinſiorum, Canterorum, Brodaei, Scaligerorum, Barthii, Petitorum, Fulleri, Bocharti aliorumque complurium libris eſt frequentius, quam ut Heſychius Gloſſographorum optimus, mirae ac profundae eruditionis Grammaticus, omniumque doctiſſimus Grammaticorum, ejuſque Lexicon eruditionis veteris abyſſus appelletur. Nec Graeciae totius modo, ſed ex parte & Orientis eruditionem in Heſychiano Lexico concluſam jacere Daniel Heinſius in Ariſtarcho ſacro affirmavit; quod vir ſummus Bochartus etiam ivit confirmatum, cum Phoenicia in Heſychio obvia ſingulari capite immortalis operis, quod Chanaan inſcripſit, explicanda ſibi ſumſit. Vide librum ejus ſecundum, cap. XI. cui praeter ea, quae de voce* Σουκκάλιων *Bocharto praeterita notavit illuſtris Ezechiel Spanheimius pag. 318. ſeq. de Uſu Numiſmatum, Mauſſacus in Diſſertatione Critica Harpocrationi ſubjecta p. 390. ſeq. addi poteſt. Thomas vero Reineſius multa etiam Germanis vernacula vocabula in Heſychio notaſſe ſe ait p. 636. Variarum Lectionum. Perſicas voces ab Heſychio explicatas illuſtrat Adrianus Relandus, vir clariſſimus, Part. 2. Miſcellanearum diſſertationum. Uſus eſt Heſychius quamplurimis autoribus, Oratoribus, Poëtis, Grammaticis, & aliis, quorum index à Johanne Pricaeo quondam confectus, & ad calcem notarum in Apuleji Aſinum aureum Goudae 1650. 8. editus Schrevelianae quoque Heſychii editioni deinde ſubjectus fuit, atque infra uno alteroque loco auctior à me exhibebitur. Reineſius in Epiſtolis ad Vorſtium teſtatur, ſe, antequam Pricaei elenchus innotuiſſet, ſimiliter ejuſmodi indicem ſcriptorum Heſychio uſurpatorum confeciſſe; quale quid mihi quoque admodum adoleſcenti accidit. Imprimis vero, quod in praefatione ipſe prae ſe fert Heſychius, Apionis, Apollonii, Ariſtarchi, Didymi, Diogeniani, Heliodori ac Theonis laboribus mirifice adjutus fuit, quorum autorum pars lexica* τῶν πολιτῶν, *pars ſcholia in Homerum & alios Poëtas ſcripſerat. Pro Heliodoro Herodorum, Homeri interpretem, patria Heracleotam, reponit vir ſupra laudes Johannes Georgius Graevius: ſed & Heliodori nomen alibi apud Heſychium non ſemel occurrit, Herodori vero nunquam; & fuerunt Heliodori complures etiam Grammatici; & locum Homericum interpretaturus Suidas in* Τελχῖνα, *Heliodorum autorem laudat: ut forte minus ſollicitandum illud nomen eſſe videatur. Quod vero ex aliis profeciſſe ſe ait Heſychius, cum ingenuitatis laudem ei conciliare debuiſſet, obſervatum eſt, eruditionis opinionem apud nonnullos detriviſſe, ex quibus Reineſius, eruditionem inquit, quam ei paſſim tribuunt, potius iis ſcriptoribus, quos excerpſit (eſt enim ſolum* συμφανῶδες) *tribuerem: cum enim nihil paene ejus ſit, quomodo eruditum* ἐξαιρέτως *fuiſſe colligam? Nihilominus ipſum quoque multa addidiſſe extra dubium videtur; & ipſe Heſychius:* λέξεις ἰδίᾳ, *inquit,* ἰδιωτικὰς παρέλιπον τοιαῦτα παρ' αὐτοῖς, ἀλλὰ ἃ πλεῖστα ἐκ τῶν παροιμιῶν. *Neque laude defraudandus eſt autor, qui optimos ſcriptores excerpendos delegit, & laboriose digeſſit, ac ipſe ſua induſtria & doctrina non parum locupletavit. Ait porro Heſychius, ſe omnia accuratiſſime perſcripſiſſe juxta praecepta Grammatici Herodiani:* Ego vero, *addit biſce verbis recitatis V. C. Richardus Bentlejus,* qui Theodoſii MStam Ἐπιτομὴν & κανόνας Herodiani lectitavi, teſtificor, parum huic promiſſo vel nullo modo ſatisfactum eſſe. *Sed hoc exſcriptorum & interpolatorum oſcitantiae potius quam autori tribuerim; quibus & illud, ni fallor, merito adſcripſeris, quod voces infinitae in alienum tranſlatae ſint locum, ut notavit Rutgerſius p. 561. Var. Lect. Et, quod idem Bentlejus obſervat, literas ι, υ & η, item ε & αι paſſim promiſcue uſurpari. Nec minus, quod ait Gatakerus p. 460. Adverſar.* familiare eſſe Lexicographis, ut ea ſub eodem vocabulo comprehendant & repraeſentent, quae illud, quod ipſum peculiariter deſignat vel conſequitur vel antecedit, uti Heſychius in Τυπεὶς & Τύλα. Τύπλας enim neque cadere neque domare ſignificat. *Quod praeterea Heſychius ipſe autor eſt ſe in Lexico ſuo* ταῖς παροιμίαις τὰς ὑποθέσεις ὑποδιδοὺς, *idem quoque in libro ipſo prout hodie quidem in manibus noſtris verſatur rariſſime praeſtitum apparet, unde pridem de mutilatorum, truncatorum, interpolatorumque moleſtis manibus conqueſti ſunt viri docti, Eraſmus in Adagiis, Mauſſacus Diſſert. Critica ad Harpocrationem, Tanaquillus Faber ad Anacreontis carmina, & complures alii. Henricus Valeſius notis poſthumis ad Harpocrationem pag. 283. putat Heſychium in ſolis duabus ultimis vocibus* Ὧς & Ὡλένη *breviatorum ſceleſtas manus effugiſſe, cum in reliquis vocibus foede truncatus ac mutilatus fuerit. In Scaligeranis ſecundis quoque legas, epitomen tantum ſupereſſe Heſychii, & loca autorum deeſſe. Faber contra, quem jam nominavi, ſuſpicatur, multos olim Heſychii purpurae ſuos pannos auſos fuiſſe aſſuere, & optima quaeque corrupiſſe, ſaepe etiam detraxiſſe. Idem*

Fa-

Faber, in illo pretioſiſſimo Helleniſmi theſauro carbones ex Graeco vulgari, quod Παπάδικα vocant, *reperiri obſervat.* Quaedam paſſim inſerta eſſe ab indoctis, ſatis viri docti norunt, *inquit Barthius lib. XLII. Cap. 26. Adverſariorum. Idem alibi in notis ad Claudianum p.* 1102. Heſychio qui teſtimonia veterum autorum exſecuit, piaculum inexpiabile fecit. Plurima enim bonorum Scriptorum loca paucis verbis illuſtrat doctiſſimus omnium Grammaticorum, quae niſi coram gloſſis ſuis videas, vix ſentias, quam ſint erudita. *Jacobus Palmerius Exercitationibus in optimos Autores Graecos pag.* 526. In tota literatura Graecanica nullus auctor magis corruptus eſt, & tantis ſcatet erroribus quam Heſychius: & quamvis Athenaei codices in multis locis mendoſi deprehendantur, non verebor dicere, Heſychium in una pagina plures errores habere, quam Athenaeus in quatuor. Ideo ex eo non ſemper ſecurum eſt antiquiores auctores emendare. *Neque omnia ab exſcriptoribus ac interpolatoribus, ſed quaedam etiam ab Heſychii ipſius negligentia & ignoratione errata in illud Lexicon irrepſiſſe non paucis eruditis viris perſuaſum eſt, quibus ego ſane facile ac lubenter accredo. Plurimum tamen interpolatoribus ſuis hoc debere eum arbitror, quod durius eum interdum accipere Critici quidam ac Philoſophi paene coacti fuerint. Is, cujus jam aliquoties memini, Graecantiſſimus & praeſtantiſſimus vir Richardus Bentlejus in luculenta illa ſua, quam Joannis Malalae Chronico ſubjecit, ad Joannem Millium ſcripta epiſtola acrius paulo in Heſychium invectus ejus oſcitantiam inter alia his potiſſime verbis perſtringit:* Dum Heſychius ex antiquis Lexicis, ſcholiaſtis, Grammaticis, quae non contexebantur κατὰ στοιχεῖον omni ex parte vocabula corradit, quibus hanc ſuam συναγωγὴν locupletet & refercat, ſaepe uſu venit, ut ab imperitis librariis, qui parum accurate ſcripſerant, vel a ſui ſimilibus ὁμοιοτέλευτα in errorem inductus ſit, quaeque nuſquam gentium vel lecta vel audita ſunt, lectoribus ſuis obtrudat. *Non eſſe Heſychium autorem multa fide dignum, ait inde Caeſar Scaliger p.* 451. *Exercitation. ad Cardanum, & p.* 455. *pluribus in locis futilem autorem ac plane Grammaticum appellat: quam criſin ſeveram, juſtam tamen arbitratur Reineſius epiſtola ad Joh. Vorſtium* 26. *Atque haec in iis tolerari tanto facilius poſſit, quae ad res naturales attinent, quale eſt, ſuper quo Heſychium locis adductis Scaliger caſtigat. Quibus adde ſis & illud ejuſdem Scaligeri lib. I. de plantis, p.* 64. *ſeq.* Heſychius interiten lapidem facit alium ab Herculeo — — Credo illius ſeculum fuiſſe admodum ſcaſcapolis. Multis etiam deprehendere licet, eum congeſſiſſe in illud horreum ſimul cum frugibus etiam ſcarabaeos cum ſuis tabernaculis, dum omnibus ex areis omnia convertit ſine vanno aut cribro.

VII. *Non obſtantibus autem hiſce ſiniſtris de Heſychio judiciis, eruditiſſimus quitque magni tamen illum merito facit, eumque exſtare, & emendatiorem exſtare, plurimum è re publica literaria intereſſe arbitratur. Unde pleriſque viris doctis familiaris hactenus fuit & aſſiduus comes, multos praeclara nec alibi obvia docuit, à multis vicißim lumen accepit, multorum ingenium induſtrianque exercuit. Atque ut de illis tantum, qui Heſychium edere moliti ſunt, pauca quaedam addam, ſub initium ſuperioris ſeculi hanc provinciam, Joſepho Scaligero haut dubie autore, exornandam ſibi ſumſerat juvenis tum ſupra aetatem eruditus* Daniel Heinſius, *cujus rei frequens in Caſauboni epiſtolis mentio occurrit. Et in prolegomenis ad Ariſtarchum ſacrum pag.* 663. *Heinſius ipſe Heſychii mentionem faciens,* qui ante plures, *inquit,* annos adoleſcentes admodum ſcriptorem illum emendavimus, vera ac legitima ab alienis ac ſpuriis diſtinximus. *Idem in litteris ad Putſchium datis A.* 1603. In Heſychio loco quingentos reſtitui, & quotidie numerum augeo cum per graviora licet. *Equidem Heinſii non paucae emendationes leguntur in Schreveliana editione, & plures longe nobiſcum communicaturus fuerat Johannes Verwejus, qui Venetam & Hagenoënſem Heſychii editionem Heinſianis caſtigationibus a capite ad calcem refertam a filio illius Nicolao acceperat. Sed Heinſius quidem ab occaſione & ſuo genio ad alia ſtudia vocatus ab Heſychio edendo animum abjecit, qua de re jam anno* 1618. *publice monuit Janus Rutgerſius. Anno autem* 1639. Ante quadraginta annos ille Heinſius, magnae tunc, quam non implevit, ſpei adoleſcens, totum ſe eſſe praedicabat in Heſychio adornando, ejuſque editionem, ut opus confectum publicares, proxime ſequentibus ſcilicet nundinis, ut moris erat, pollicebatur. Credibile eſt, illum eam provinciam Nicolao filio dudum demandaſſe. Sed nunc hic tantum cogitat de Ovidio emaculando: Itaque occupa. Dignus enim Grammaticorum ille Jupiter, in quo tua induſtria deſudet. *Verum neque Nicolaum Heinſium, neque Alexandrum Morum de Heſychio edendo ſerio unquam cogitaſſe accepimus. Cogitavit autem inter Helvetios* Joh. Caſpar Suicerus, *qui Heſychium cum verſione & notis atque emendationibus edere voluit, multis imprimis Reineſii obſervationibus non mediocriter adjutus: Iſque opus fere perduxerat ad umbilicum, cum prodeunte in Belgio Schreveliana editione ab inſtituto paſſus eſt ſe deterreri; etſi Bailletus dicat, poſt Schrevelianos labores minus accuratos, meliorem Heſychii à Suicero exſpectari editionem T.* 3. *pag.* 122. *Ediderat tamen jam ante, Lexici Heſychiani ſpecimen, quod & ſeorſim excuſum, & poſtea Sacris Suiceri Obſervationibus ſubjectum fuit. Et illae quoque Suiceri emendationes maximam partem (pleraeque etiam laudato Suiceri nomine) comparent in Schreveliano Heſychio; Etſi quaedam, neſcio qua de cauſa, omiſſae ſunt, quaſdam Rei-*

neſio potius quam Suicero adſcribi oportebat. Sed & alioqui in Schreveliana illa editione paſſim obſervare eſt emendationes virorum doctorum nunc mutilas, nunc loco motas, jam plane contra Autorum mentem adductas afferri, ſaepe obſervationes maximi momenti praetermitti, quod fere ſolemne eſt in editionibus, quas ſpecioſa inſcriptione cum notis variorum *appellant; qua de re pridem nec injuria conqueſti ſunt viri eruditi. Ita pagina ſtatim ſecunda num.* 3. Tanaquillo Fabro *tribuitur, ac ſi pro* "Αστπες *apud Heſychium* "Απες *legere praeceperit. Quod etiam Johannes Verwejus in ſpecimen novae ſuae editionis recepit, addita hac praematura epicriſi:* Ineptiſſime. Dignus laude Faber, ſi emendaſſet Ἀπλόους *&c. At Fabro tam putidae correctionis, ſeu corruptionis potius, nunquam in mentem venit: nam in Epiſtolis Salmurii editis, in quibus emendationes illae Heſychianae leguntur, ait, ſibi videri ſcribendum* Ἀάπλους *ex Homero; quod & Scaligero placuit, & rectum eſt. Eadem pagina num.* 15. Jac. Palmerii *notam mutilam attulit Schrevelius, uti Verwejus teſtatur his verbis:* Schrevelius ex nota Palmeriana detraxerat praecipua, nos ea ſupplevimus ex commentario manuſcripto Palmerii, quem nobiſcum pro ſingulari humanitate communicavit vir omni doctrina & elegantia conſummatus Stephanus Morinus, avunculi ſui haeres puto, qui quidem nunc ſanctas literas profitetur apud Amſtelodamenſes. Quam autem familiare ſit Schrevelio, ſummos viros multare iſta capitis deminutione, alibi docebimus ἰὰν ὁ Ζεὺς Ζηλήσῃ, ἐγὼ ἡμεῖς ζήσομεν. Idem namque fatum Johannis Fungeri & aliorum, ut diſco quotidie ex Heſychiis, quos poſſidet Bibliotheca Franequerana, & mihi permiſſu Senatus amplisſimi peramanter ſubminiſtravit eruditiſſimus & clariſſimus Jacobus Perizonius, iſtius Academiae li.t. Rector Magnificus. *Praeter viros doctiſſimos* Johannem Pearſonum & Johannem Pricaeum, *quorum utrumque Heſychii editionem molitos fuiſſe ſupra commemini*, Ezechiel *quoque* Spanhemius *aliquam in egregio libro, quem de Uſu & Praeſtantia Numiſmatum inſcripſit, pag.* 206. Certe majora lectionum portenta in optimum auctorem Heſychium irrepſiſſe vel nova, quae modo prodiit (Schreveliana) editio ſatis evincit, & quae plura adhuc in eodem reſtant, emaculanda; eujus luculenta liceret hic nobis dare ſpecimina, qui aliquam operam in emendatione Grammaticorum Coryphaei etiam pueri olim poſuimus, favente tum his conatibus eoſdemque promovente magno Salmaſio. Sed haec alterius loci. *In Bibl. Iſaaci Voſſii fuit Aldina Heſychii editio cum emendationibus* Thomae Brunonis *Windeſorienſis Canonici. In Bibl. Wittiana eadem editio cum notis MSS.* Jani Parrhaſii. *Denique* Johannes Verwey, *Scholae Hagenſis moderator, Heſychium nobis dare voluit, & luculentum ſane dediſſet, niſi tam laudabile inſtitutum fata viri doctiſſimi Anno* clɔlɔcxcii. *e vivis evocati intercepiſſent. Nam quantum ex ſpecimine, quod in varia loca tranſmiſſum & Clariſſimi Almeloveenii beneficio ad me quoque pervenit, cognoſci poteſt, magnis ad id opus adminiculis, quorum partem jam memoravimus, uſus fuit:* Henrici Valeſii *quoque & aliorum doctorum virorum codices in promtu habuit; nec ipſe pepercit labori & diligentiae alios Lexicographos, qui exſtant, & Scholiaſtas, Poetaſque ipſos, & ſeptuaginta Interpretes, ac Novum Foedus, & omne genus Graecorum autorum conferendi; ex quo collationis ſtudio, quantum lucis Heſychio afferri, quot loca ſanari ac reſtitui poſſint, nemo paulo humanior ignorat, nemo paulo doctior non eſt expertus. Neque parvum operae pretium ex ipſius Heſychii locis inter ſe comparatis ferri poteſt, praecipue ubi modo compoſita & derivata, modo ſimplicia ac primitiva interpretatur, modo unum, modo plura ſimul verba explicat. Verweyo autem defuncto, optandum eſt, ut apparatus ille certe non contemnendus inciderit in* Küſterum *aliquem, qui dignam tanto opere doctrinam & diligentiam, judiciumque afferre, & ejuſmodi qualem optamus Heſychio Rempublicam literariam denique donare poſſit.* Richardus *quoque* Bentlejus *V. C. quantum in Heſychio poſſit, non paucis illius locis praeclare ſanatis in iſta, quam dixi, ad Job. Millium praeclara epiſtola, & in Fragmentis Callimachi ſatis aperte nos docuit. Et ipſe quidem p.* 39. *Epiſtolae:* Habeo, *inquit*, alia ſexcenta, quae hac vice condonabitur. Verum hercle ſi unquam uſus fuerit, ut nova Heſychii editio procuretur, qui ut in pudendos errores crebro inciderit, utiliſſimus nihilominus & paene neceſſarius eſt omnibus qui ad veram eruditionem viam effectant,

Id tibi de pleno poſſum promittere, Milli,

quinque plus millia mendorum me correcturum eſſe, ſi libuerit, quae aliorum ὐπόχειρα & laborioſam diligentiam hactenus eluſerunt. *Praeterea vir cum viveret Graece doctiſſimus, & cum magna harum literarum jactura nuper denatus,* Thomas Galeus *ſe affirmavit quater mille amplius loca in promtu habere, quae in Heſychio meliora reddere poſſit, ſi nova adornanda ſit editio. Noviſſime* Lambertus Boſius, *ſupra mihi laudatus, in Monobiblo Obſervationum Criticarum, C.* 36 *uſque ad* 50. *plura Heſychii loca illuſtravit ſanavitque. Habeo & ineditas notas quantivis pretii in Heſychium, auctore* Johanne Vito Pergero, *quibus aliquot millibus locorum lux affunditur, & editio Heſychii Schreveliana emendatur. Antequam de Heſychio dicere omittam, noto, editionem Heſychii Hagenoenſem loca nonnulla aliter atque emendatius legere Aldina, quam ſolam ſua in* ἐνδόξῳ *ſecutus fuiſſe videtur Cornelius Schrevelius: deinde quod non fugit doctos, Varinum Camertem, qui in ſuum Lexicon integrum fere Heſychium tranſtulit, loca quaedam inter tranſcribendum correxiſſe, etſi plurima quoque depravata in opus ſuum recepit. Denique locis bene multis Heſychii lucem affundi, ut in Henrici Stephani, Roberti Conſtantini, Martinii, & aliis recentium Lexicis, ita & in Theſauro Eccleſiaſtico Suiceri, & in Cangii Gloſſario mediae Graecitatis.*

JO.

JO. ALB. FABRICIUS

IN

BIBLIOTHECA GRAECA,

Lib. V. *Cap.* V. (*Vol.* VI. p. 240. & seqq.)

HESYCHIUS Illustris [1], patriâ Milesius, Hesychii Advocati & Sophiae Filius, scriptor (licet Suidae [2] aliud videtur) itidem Christianus, Justiniani Imp. temporibus composuit *Historiam Chronicam* sex τμήμασι [3] sive λόγοις distinctam, quorum 1. de rebus quae à Belo Assyriorum Rege bellum Trojanum anteceserunt, 2. ab Ilio capto ad Romam usque conditam, 3. ab Urbe condita usque ad Consules creatos Olympiade LXVIII. 4. à Consulum initio usque ad Julium Caesarem. 5. à Julio Caesare usque ad Constantinopolin à Constantino M. instauratam. 6. à Constantino M. usque ad excessum Anastasii Dicori Imp. Vide Photium Cod. LXIX. & Suidam in Ἡσύχιος. Sexti τμήματος initium ad nos puto perveniisse, sub. titulo: Πάτρια Κωνσταντινουπόλεως, quae adeo à Suida [4] totum opus Chronicae Historiae laudante haud singulatim memorari, minime est mirum. Primus illa sub *Georgii Codini*, qui excerpsit ac servavit, nomine Graece & Latine edidit *Georgius Dousa* Jani F. περὶ πάσης τῆς Κωνσταντινουπόλεως παρεκβολαὶ ἐκ τῆς βίβλου τοῦ χρονογράφου, Heidelbergae apud Hieronymum Commelinum 1596. 8. & Genev. 1607. 8. Inde eadem integriora paullo, veluti nondum edita ad calcem libelli Hesychii de viris illustribus, è MS. Palatino Graece cum versione sua & notis sub vero Hesychii nomine vulgavit *Joannes Meursius* Lugd. Bat. 1613. 8. adjunxitque *Bessarionis* Cardinalis Epistolam scriptam Graeco vulgari sermone ad Thomae Palaeologi filiorum paedagogum Româ datam 9. August. 1465. qua eum hortatur ut cum Critopulo Medico diligentem eorum curam habeat, neque Anconae diutiùs subsistat, sed Siciliam petat. Meursii versio notaeque à *Labbeo* in editione Regia una cum Graecis recusae ex illius editione sunt. Nonnulla in hac editione castigant Allatius ad Eustatbii Hexaëmeron pag. 126. & Amplissimus Vir Gisbertus Cuperus lib. IV. Observationum cap. 14. Interpretationis Dousianae errores notavit *Jac. Gretserus* Observationibus in Codinum, lib. 3. cap. 18. ejusque editionem è Bavarico Codice auctiorem fecit cap. 19. *Nos etiam*, inquit Allatius diatriba de Georgiis p. 362. *ex alio MSto Codice multo hisce plura in nostro* [6] *Variorum Antiquorum Tomo I. protulimus, adeo ut jam Lector opus absolutum ferme habeat. Nec aliud ab hoc opus esse mihi autumo, quod in Bibliotheca Carthusiae Neapolitanae in indice MStorum legitur* Georgii Codini Chronologia CPolitana. *Legitur etiam MS. Romae in Bibliotheca Vallicellana D.* 23. *& Scoriaci in Regia. Neque alius à Codino est* Georgius Constantini *qui* περὶ πάσης Constantinopolis *& librum* de Sapientia *scripsisse traditur à Gesnero. Constantinus enim, ni fallor, locum Codini occupavit. Errorem secuti sunt Gesneriani Epitomatores Robertus Constantinus, & qui sine ullo delectu atque examine omnia exscribit Paulus Bolduanus. Liber vero ipsius* de Sapientia *nullus alius esse videtur, quam ea pars* περὶ πάσης *quae in exstructione Templi CPol. S. Sophiae enarranda impenditur.* Confer quae de Codino infra, ubi pleniorem Originum ejus CPolitanarum editionem à *Petro Lambecio* curatam recensebo. Hesychium Illustrem

1. Ἡσύχιος non est nomen proprium, sed dignitatis, ut multi jam animadverterunt. Vide Colomesium ad Gyraldi dialogos de Poëtis pag. 145. Hanckium de Byz. Hist. ad Hesych. ac praecipue Cangium in glossario Graeco, Jonsium pag. 307. & Edmundum Chilmeadum ad Malalae Chronicon. T. I. pag. 377.

2. Suidas Christianum non esse Hesychium, collegit ex eo, quod in libello de viris eruditione claris Christianos scriptores non memorat. Sed aliud ejus fuit institutum, & in eo ipso libello memorat Sibyllam Chaldaeam de Christo vaticinatam, Tribonianumque tanquam Ἕλληνα h. e. Ethnicum, atque ἄθεον perstringit. Itaque Christianum fuisse existimant H. Stephanus, Vossius pag. 268. de Hist. Graecis, Hanckius, Caveus, alique, quibus libenter assentior.

3. Τμήματα Photius appellat, διατόμους Suidas, & auctor glossarii juris in Πανδέκτας, ubi laudatur Ἡσύχιος ὁ Ἰλλούστριος ὁ φιλοσοφώτατος ἐπὶ τῆ Μιλησίων, ὡς τῆ ἱ χρονικῆ λογοτομίᾳ τῆ ἱστορίᾳ. Idem in Φώτιος allegat Hesychium ὡς τῆ ϛ' λογοτομίᾳ.

4. Sic Hyasis sive Oasis urbis Libyae τὰ πάτρια sive origines atque antiquitates scripsit Soterichus Poëta testa Steph. in Ταῦις: Diogenes Cyzicenus τὰ πάτρια Κυζίκου Suidae laudata in Διογ. & eidem Stephano in Βιτυνία, atque sibi: Claudianus τὰ πάτρια Ταρσῶ, Ἀναζάρβῳ, Βηρυτῷ, Νικαίᾳ, ut ad epigrammata Claudiani Graeca annotatum in veteri Codice Allatius reperit, qui etiam le Excerpta Rhetorum pag. 256. edidit apostrophation Callinici Sophistae ὁ τὰ εἰς τὰ πάτρια Ῥώμης. Tzetzes Chiliad. 2. versu 973. ubi de Apollonio Tyanensi: γεγραφὼς ταῦτα πάντα τοῦ χειρὸς τὸ πλέον. Constantinus Porphyrog. II. 12. themat. pag. 111. οἱ τὰ εἰσαγωγικὰ τῶν Βιζαντίων.

5. Vide quae supra pag. 137.

6. Non vidit lucem, quod sciam.

ſtrem citat Tzetzes Chiliad. 3. verſu 877. atque inter alios qui Juſtiniani temporibus Ἱστορικοὶ βασιλείας ſcripſerunt, Conſtantinus Porphyrogenitus lib. 1. themate 2. nec non lib. 2. themate 8. ubi de Indictionum origine.

Memorat & Photius alterum Heſychii hujus opus *de rebus ſub Juſtino Thrace & per primores Juſtiniani annos geſtis*, quod ulterius continuare mors acerba filii *Joannis* haud permiſit.

Caeterum ſupereſt adhuc *libellus* Heſychii Illuſtris περὶ τῶν ἐν παιδίᾳ ἀφελαμβάντων σοφίας, *de his qui eruditionis fama claruerunt*, digeſtus ordine nominum Alphabetico, & iiſdem paſſim verbis, quibus utitur Laërtius, pauca quaedam de illis perſtringens. Meminit ejus Suidas qui vocat ὀνοματολόγον ἢ πίνακα τῶν ἐν παιδίᾳ ὀνομαζῶν, quia vero ſubjungit οὗ ἐπιτομὴ ἐστι τοῦτο τὸ βιβλίον, hoc poteſt ita intelligi, ut duos libros ejuſdem argumenti compoſuerit Heſychius, unum uberiorem quem Callimachi exemplo inſcripſerit πίνακα, & alterum qui hodie exſtat breviorem ὀνοματολόγον, qui fuerit prioris veluti Epitome. Equidem Meurſius putat ſupplenda eſſe verba: Διυγήσω τὰ λαίσια μυσταγωγῶν, οὗ ἐπιτομὴ ἐστι τὸ παρὸν βιβλίον. Sed quanquam plurima è Laërtio iiſdem, ut jam dixi, verbis repetiit, Epitomen tamen Laërtii neutiquam praeſtat, ne dicam Codicem nullum Suidae MS. conjecturae Meurſii audaciori ſuffragari, & Heſychium multa referre de quibus in Laërtio ne γρύ. Nonnulla ex Heſychii libello verbotenus Suidas, non tantum in Ζάλευκος, Ζηνοφάντης, Ποδάλειρος, Μιτυλιναῖος, Φαίδων, ſed etiam in Ἀπολλώνιος, Ἀειγέας, & aliis quamplurimis in locis. Prodiit primum Graece è Bibliotheca *Jo. Sambuci* Antwerpiae, typis nitidis A. 1572. 8. apud Chriſtophorum Plantinum, ſubjunctaque ad calcem verſio Latina *Hadriani Junii* cum ejus caſtigationibus, in quibus ut Heſychium è Laërtio, ita Laërtium viciſſim ex Heſychio ſubinde emendandum demonſtrat. Poſtea Graece & Latine prodiit cum Junii verſione & notis, notiſque *Henr. Stephani* animadverſionibus ad calcem Diogenis Laërtii ex laudati Stephani officina A. 1594. 8. Illa Laërtii editio & cum illa Heſychii libellus recuſus eſt Genevae apud Jo. Vignon 1615. 8. Interim *Joannes Meurſius* Lugduni Bat. 1613. 8. Heſychii opuſcula atque in his praeſentem libellum vulgavit, caſtigationibuſque Junii ac Stephani notas ſuas addidit. Junii autem verſio Latina non ut ab H. Stephano Graecis ex adverſo per ſingulas paginas poſita eſt, ſed ſeparatim ad calcem voluminis excuſa legitur.

ALII HESYCHII.

Heſychius *Aegyptius* Epiſcopus, A. C. 310. vel 311. Alexandriae paſſus Martyrium, cujus meminere Euſebius VIII. 13. Hiſt. p. 308. & Martyrologia 26. Nov. Idem habetur qui Graecam verſionem ſacrorum librorum V. T. emendavit, ut dixi lib. 3. c. 13. §. 14. Atque eundem ſuſpicor primum auctorem gloſſarii, ab aliis deinde interpolati truncatique, quod ſub Heſychii *Alexandrini* nomine habemus. vide ſupra lib. 4. cap. 35.

Heſychius *Alexandriae* minoris Epiſcopus, qui Concilio Antiocheno & Nicaeno primo interfuit.

Heſychius *Apameenſis*, infra, in Juſtino Heſychio.

Heſychius CPolitanus presbyter, cujus λόγους quatuor de ſerpente aeneo Moyſis memorat Photius Cod. 51. Idem forte cujus meminit Philoſtorgius VI. 1.

Heſychios vir *Conſularis*, de quo Hieron. ad Pammachium Epiſt. 101. de optimo genere interpretandi: *Dudum Eſychium Virum Conſularem, contra quem Patriarcha Gamaliel graviſſimas exercuit inimicitias, Theodoſius Princeps capite damnavit, quod ſollicitato notario chartas illius invaſiſſet.* Heſychium intelligo proconſulem Achajae, ad quem Theodoſii lex in Codice Theodoſiano l. ult. de principibus agentium in rebus. Ad Heſychium Proconſulem etiam Epiſtola Nili 292. libri 2. edit. Allatianae. Ad hunc forte etiam Libanii Epiſt.

Heſychius qui cum Syneſio ad *Geometriae* ſtudium incubuit, poſtea Magiſtratu aliquo functus. Vide Syneſii Epiſt. 92.

Heſychius *Gloſſarii* ſive *Lexici* auctor, ſupra in Heſychio Ægyptio.

Heſychius *presbyter Hieroſol.* quem Theophanes p. 71. ad Annum Theodoſii jun. VII. ſcribit διδασκαλίας ſive literarum ſacrarum doctrina floruiſſe, ejuſque obitum refert p. 79. ad annum Theodoſii XXVI. CHriſti 433. Eundem Graeci in Menologio 28. Martii ſcribunt exhauſiſſe fontes omnes ſcientiae & ſapientiae & omnem Scripturam interpretatum eſſe ac perſpicue explicaſſe atque ad multorum utilitatem propoſuiſſe. Ejuſdem meminit Cyrillus in Vita S. Euthymii. Confer Henſchenium Tomo 3. ad 28. Martii pag. 713. De Heſychii Hieroſol. ſcriptis non repetam quae erudite Labbeus, Caveuſque. Tantum notabo 1. πρῶτον ejus ſive ὑφήλεια *in XII. Prophetas* Minores

cum

cum Latina verſione ſua ediderit Conradum Rittershuſium in Aſſe fatidico, ſive XII. Prophetis Metaphraſi Latina donatis, Ambergae 1604. 8. Conſer de illis κεφαλαίοις Richardi Simonis Epiſtolas Criticas Gallice excuſas Baſileae p. 75. ſeq. Laudantur & ejus ſcholia *in Ezechielem* ac *Jobum*; atque Conradus Clauſerus praef. ad Procopium Gazaeum in Pentateuchum: *Utinam*, inquit, *haberemus Heſychii ſcholia in Ezechielem atque adeo omnes Prophetas. Incredibile dictu eſt, quantum lucis acceſſurum eſſet Prophetiae lectioni.* Minores Prophetas cum commentariis Theodoreti & Heſychii extare in Codice Regio Pariſ. 1892. teſtatur doctiſſimus Montfauconus p. 316. Palaeographiae Graecae. 2. Heſychium Hieroſol. *in Pſalmos* è MS. Veneto edere promiſit C. V. Aoſelmus Bandurius, & Codicis illius initio mutili meminit laudatus Montfauconus in Diario Italico pag. 46. Habeo & ipſe Homilias quaſdam Graecas MSS. in Pſalmos., quas alii Codices Chryſoſtomo, alii rectius Heſychio tribuunt. Prooemium Heſychii in Pſalmos ſuit apud Jac. Sadoletum, qui de eo ita in Epiſt. ad Eraſmum: *De Heſychio quod quaeris, habueram Pſalmorum Graecorum librum vetuſtate inſignem, in eo prooemium Heſychii luculente ſcriptum in eam ſententiam, ut probare conaretur omnes Pſalmos Dividis eſſe. Is liber mihi cum caeteris omnibus periit. Reliqua ſunt apud me Graeca collectanea in Pſalmos, incerto auctore ſcripta non tam copioſe quam eleganter, quibus praecipue utor: in iiſdem interdum citatur Heſychius.* 3. Libri VII. Explanationum allegoricarum *in Leviticum* ad Diaconum Eutychianum Latine quidem tantum exſtant, laudati pridem Amalario, Rabano, Strabo, aliiſque, & editi Baſil. 1527. fol. Pariſ. 1581. 8. & in Bibliothecis Patrum: ſed videntur utique ſcriptoris eſſe Graeci, Heſychii nempe, ut titulus habet, Hieroſolymitani [1] presbyteri, verſi Latine ab interprete neſcio quo; Heſychius enim Salonitanus ut is fuerit nihil eſt neceſſe, qui verba S. Scripturae ex Hieronymi verſione adſcripſit. Conſer Richardum Simonem in Cenſura Bibliothecae Divinae Hieronymianae Gallice edita p. 35. ſeq. 40. ſeq. & in Epiſtolis Criticis p. 69. ſeq. & T. 4. Bibl. Criticae p. 55. Salmaſium de Transſubſtantiatione p. 57. Edm. Albertinum de Euchariſtia p. 847. Labbeum de Scriptoribus Eccleſiaſticis T. 1. p. 633. ſeq. & Antonium Arnaldum in ſcripto Gallico: Tradition de l'Egliſe touchant l'Euchariſtie T. 4. de la perpetuité de la foy p. 21. ſeq. 4. *Sermo de reſurrectione* in Codice Regio Pariſ. fertur ſub titulo Ἡσυχίου πρὸς Θαλάσσιον, uti Trithemius & Sixtus Senenſis, neſcio quo auctore, Heſychium presb. Hieroſol. tradunt Gregorii Nazianzeni, qui *Theologi* nomine communiter venit, fuiſſe diſcipulum. Eadem ſecunda de Paſchate legitur inter Homilias Greg. Nyſſeni, ſed ſtylo [2], ut obſervat Combefiſius, prorſus abhorrente, qui illam cum altera *de hora qua crucifixus eſt Dominus*, Latine ex verſione ſua dedit etiam in Bibl. concionatoria. In eadem & in ſupplemento Bibliothecae Patrum Pariſ. T. 1. pag. 821. & T. 12. Lugd. p. 190. exſtat Latine, Carolo Fabiano interprete, Oratio in *S. Andream Apoſtolum*, de qua Photius Cod. 269. licet Thomas ibi pro Andreae nomine legitur. Graece habuit Allatius, incipit: σάλπιγξ ἡμᾶς Ἀποστολικὴ πρὸς παίγνιον ἄθεσιν. 5. Heſychii presb. Hieroſol. *Hiſtoria Eccleſiaſtica* [3] reſpicitur in Chron. Alex. pag. 371. ubi Heſychius citatur cum Sozomeno & Theodorito, ubi de rebus Theodori Mopſueſteni ſermo eſt. 6. *Vita Longini Centurionis* & duorum ſociorum Martyrum, quae ex MS. Vaticano 1190. pag. 117. exhibetur ab Henſchenio T. 2. ad XV. Martii Graece pag. 736. & Latine p. 386. non videtur, ut editor voluit, Heſychii presbyteri Hieroſol. illius qui ſub Theodoſio juniore vixit, ſed longe junioris ſcriptoris. Conſer Tillemontium Memor. Hiſt. Eccleſ. T. 1. pag. 254. 7. Allatius ſub Heſychii Hieroſol. nomine habuit Homiliam Heſychii Hieroſol. presb. εἰς τὴν Ὑπαπαντήν, incipit: Ἡ μὲν ἑορτὴ λόγῳ χαίρουσα.

In SS. Apoſtolos Petrum & Paulum, incipit: Καλὸν μὲν τὸ ᾄδειν καὶ ἀκούειν.

In S. Procopium Martyrem, incipit: Παγκοσμίῳ μὲν θυσίας ὁ Χριστὸς ἐπράωσεν παῦσαι αὐτὰς ἰδίᾳ.

In Lazarum quatriduanum, incipit: Δώρων ἡμῖν πολυτελὴς Λάζαρος αὐθις.

8. De fragmento *Homiliae in Natalem CHriſti* dictum ſupra cap. 4. p. 145.

Alius Heſychius *Preſbyter* ac deinde *Epiſcopus Hieroſolymitanus* circa A. C. 600. ad quem Epiſtola Gregorii M. lib. IX. Epiſt. 4.

Heſychius *Epiſcopus* quem cum aliis ſex Epiſcopis miſſum ab Apoſtolis Petro & Paulo ad *Hiſpanos* tradunt. Vide Papebrochium T. 3. ad XV. Maji pag. 442. & Tillemontium T. 1. memor. Hiſt. Eccleſ. pag. 501.

Ju-

1. In gloſſa Ordinaria vocatur etiam Epiſcopus: ſed non eſt tanta illius auctoritas, ut ideo non poſſit tribui Heſychio qui presbyter Hieroſolymitanus A. C. 433. obiit & ab explanatione Scripturarum magnam ſibi celebritatem nominis paraſſe in Menologio Graecorum ad 24. Martii traditur.

2. Conſer Rich. Simonis Hiſt. Crit. Novi Teſt. T. 3. p. 312.

3. Vide ſupra cap. 4. §. 28. pag. 113.

Juſtinus Heſychius, Apameenſis, Amelii Philoſophi adoptivus, cui libros ſuos legavit. Porphyr. in vita Plotini c. 3.

Heſychius λαμπαδάριος, qui domum ſplendidam conſtruxerat animi ornandi negligens ac ſecurus, ad quem Epiſtola 156. Iſidori Peluſiotae lib. 2.[1]

Heſychius *libertus* Auguſti Imp. memoratus in veteri inſcriptione apud Gruterum, p. DLXIV. 2. ut alios Heſychios libertos, in eodem Gruteriano theſauro obvios, praeteream.

Heſychios *Martyres*, praeter Aegyptium ſupra memoratum, plures alios celebrant Martyrologia & Menologia ut 15. Junii, 3. Julii, 2. Septembris 3. Octobris, 7. & 18. Nov. &c.

Heſychius *Medicus* & *Grammaticus* CPoli ſub Leone I. Imp. Vide Suidam in Ἡσύχιος.

Heſychius *Monachus*, S. Hilarionis amicus, de quo Hieronymus in ejus vita quae inter hujus Epiſtolas atque apud Surium 21. Octobr. legitur.

Heſychius *Salonitanus* in Dalmatia Epiſcopus, cujus Epiſtola una ad Auguſtinum & duae ad eum Auguſtini exſtant, num. 78. 79. 80. (in nova edit. 197. 198. 199.) Auguſtinus XX. 5. de Civ. DEI: *Epiſtola quam reſcripſi ad beatae memoriae virum Heſychium Salonitanae Urbis Epiſcopum, cujus Epiſtolae titulus eſt de fine ſaeculi.* Eſt illa Epiſt. 80. (in nova edit. 199.) Epiſtola prima Zoſimi Papae ad hunc Heſychium data fertur Honorio XII. & Theodoſio VIII. COSS. hoc eſt A. C. 418. T. 1. Concilior. edit. Binianae pag. 711.

Heſychius παχυγάφος, quem in Originibus CPolitanis citat Codinus[2], vereor ne idem ſit cum Heſychio Mileſio, licet à Codino refertur inter eos qui inſtaurationi Urbis à Conſtantino M. factae αὐτάρ?) interfuerunt. Etiam Heſychium Mileſium, *tabularium* vocat Barthius p. 103. ad Claudianum.

Heſychius *Viennenſis* Epiſcopus, cui ſucceſſit Alcimus Avitus[3].

Adde his Heſychiam foeminam[4], Sacerdotem Minervae, cujus nomine ſtudium quietis & concordiae ſuaſit Oraculum Athenienſibus. Vide Plutarchum in Nicia p. 532. & libro de Pythia verſibus non vaticinante p. 403.

1. [Diverſus ab eo, quem *Epiſt.* 18. a pietate laudat.]
2. [p. 31. Ed. G. Houſ.]
3. [*Heſychio* cuidam ſcripſit etiam Baſilius M. *Epiſt.* 350. & 351. Ed. Pariſ. 1638.]
4. [*Heſychia* quaedam matrona memoratur quoque apud Ammian. Marcellin. l. XXVIII. p. 364. (in 4.) Poſteriori aetate *Heſychii* nomen vix amplius in uſu fuiſſe videtur. Fuit tamen non diſſimili nomine *Eſychius* aliquis, qui Lipſio ſcripſit Vid. *Burmann. Syllog. Epiſt.* T. I. p. 272. 305. 711. & *Not.* ibi.]

JUSTI CHRISTIANI THORSCHMIDII

DE

HESYCHIO MILESIO

ILLUSTRI,

CHRISTIANO,

COMMENTATIO*.

PRAEFATIO.

Sanctum ubique, gloriaeque plenum, Chriſtianorum eſt nomen, non longo quidem illud, ac ſplendido verborum anfractu, circumſcribendum, ſed ex illius, quem profitentur, majeſtate derivandum, tanto, ſplendidis illis, quos ſecularis pompa adjicit, titulis praeſtantius, quanto ſolicitius, originis ſuae memor coelum ipſum petit, humanaque ſpernens, ad ea ſaltem, quae ſupra nos ſunt poſita tendit, eorumque cum fructu, tum dulciſſima contemplatione, exſatiatur. Notum eſt, neque uno ſaltem argumento cognitum, iis, qui hiſtorias, primorum ab humani generis reſtauratione, ſeculorum evolvunt, unicum hoc nomen, acerbiſſimae vexationis, ac cruciatuum, extitiſſe materiam, non minus, ac criminum atrociſſimorum, a ſancti nominis adverſariis objectorum, & vel iſta quidem, ut tolerarent illi fortiter, vel haec, ut ab iis ſe purgarent, verbo ſaltem, Chriſtianus ſum, opus fuiſſe. Patet hinc nominis iſtius amplitudo, ex Athenagorae etiam Apologia, Euſebii Chronico, & Juſtino perſpicienda, quorum uberiores ſententias in brevis ſcripturae formam contraxit Fleuryus T. 1. Hiſt. Eccleſ. Gallico idiomate conſcriptae, L. III. reliqua vero, quae eam in rem copioſius dici poterant, juſta Diſſertatione expedivit celeberr. Jo. Franc. Buddeus, de origine, dignitate, & uſu Nominis Chriſtiani. Feliciſſima in eo, ſi quaedam, noſtra certe eſt aetas, quo non iſta ſaltem, ut perſcrutetur, animum adpellit, argumenta, quae ſecularium ſcientiam rerum augent, ſed ad ea quoque procedit, quae Eccleſiae ſtatum, a multis retro ſeculis, luculentius exponunt, primarioſque ejus, ac nobiliſſimos, cives, in pietatis, cultuſque religioſi exemplum, excitatos veluti, producunt. Habent in eo, quod acceptum illis referatur, Actorum Scriptores ſanctorum, quibus, ſi ea, quae ex ſuperſtitione, credulitateque ibi confluunt, demas, tantum nihilominus gloriae remanebit, quantum tribui illis ſolet, qui amiſſa navi, tabulas tamen ſervant, eaſque in gratae recordationis argumentum, publico, celebrique loco ſuſpendunt. Dignum adeo eſt initiato ſacris

* [Prodiit haec Diſſertatio, vix ulli noſtratium nota, *Wittenbergae* A. 1716. publice ibidem a Doctiſſimo Auctore, inter Facultatis Philoſophicae Aſſeſſores locum ſibi vindicturo, defenſa, reſpondente *Jo. Henr. Reibanio*. Eandem, quod rariſſima eſſet, tum quod optime cum *Fabricii* ntr ſuperioribus conveniret, tum maxime, quod varios *Heſychii* nomine claros viros exponeret, hic inferendam curavi, &, quamvis *prior Sectio* mihi ſufficeret, integram non una de cauſſa relinquere malui.]

cris purioribus, noſſe eos, qui eorundem myſteriorum fuerint participes, ut & ſuus cuique ex communi hoc nomine, bonos conſtet, & in ſacrum hunc numerum nemo, niſi fide, probataque de numine, ſacriſque cerimoniis opinione, cognita, admittatur. Eſt autem genus quoddam hominum, quorum, in multiplicando Chriſtianorum numero ſtudium, uti nullus improbo, ita facilitatem ingenii, levitatemque miror, qua inducti, conjecturam, ex ſimilitudine quadam ſumtam, eo ducunt, ut Hercules, Ariſtoteles, Epictetos, Senecas, &c. quos in quibuſdam, ſacrae revelationi conſonos, aequitatis ſcilicet, quam naturae leges dictant, regulas ſecutos, animadvertunt, illico in ſacra Diptycha recipiendos arbitrentur. Et quantum ad hos quidem, rei Chriſtianae per eos nec ſeri, nec metu, animadvertet quiſque, qui judicio inſtructus, ad eorum acceſſerit lectionem: dantur autem alii, non ſine extanti levitatis nota dimittendi, qui nulla, venerandae antiquitatis auctoritate ducti, in Sanctorum numero retinendos putant, eos, quorum uti vita, ita profeſſio publica aliud demonſtrat, quique ſanctioris diſciplinae immemores, tantum non aperta bella, contra ſaniora dogmata gerunt. In argumenti locum vocari poteſt, de Porphyrii Tyrii, Apoſtaſia, non vera, Diſceptatio, illa tamen argumentorum pondere diſcuſſa in Miſcellan. Lipſienſ. T. I. obſervat. XXVI. epiſt. 2. 4. (*) *Tanto vero perniciofior, quanto fama, religioſiſſimorum Virorum, indignior eſt error eorum, qui cautelas, circa Hiſtoriam Eccleſiaſt. ſcribentes, eam dubitandi, judicandique inducunt licentiam, qua perinde illis eſſe videtur, utrum ipſe Conſtantinus, & factis, & pietate, quam multis in rebus conſpicuam, atque praenitentem, antiquitas altiſſime illuminavit, Magnus, Chriſtianus fuerit, nec ne? qui mendacia, communeſque fabulas, circa ejus & parentes, & circa ipſum, & circa ejus Chriſtianiſmum, obtinere, publice, pro autoritate, contra fontium in hoc ſtudio puritatem, edicere, non erubeſcunt.* (†) *Nos quidem, firmiora perſuaſos, verioraque, haec adeo non morabuntur, neque a propoſito retrahent, quo, nulla novandi libidine inflati, neque temeritate inducti, locum, nomenque inter Chriſtianorum ſacra profitentes, vindicabimus,* Hefychio Mileſio, *Illuſtri Viro, pro Gentili pridem habito, nunc autem ex argumentis, quae ſcripta ejus ſuppeditant, non proletariis, neque inſuper habendis, in iſtud faſtigium evehendo. Antequam vero id a nobis commode fiat, de Hefychiis, claris & illuſtribus, quaedam veniunt exponenda; quo temporum rationibus juſte ſubductis, pateat, quis demum ille ſit Hefychius, cui novum hunc, tantumque ſplendorem reſtituere, conemur.*

(*) Theodoretus, de Curat. Graecor. Affect. Serm. I. dicit, Porphyrium acerrimum ex animo, bellum ſuſcepiſſe, contra ſe & ſuos, idem etiam eum, *τὰ πάντων ἡμῶν ἰχθύσαντα*, ibidem appellat. Euſebius quoque Caeſareenſis XXX. Libros contra Porphyrium ſcripſit, ſed cum pluribus ejuſdem autoris, deperditos.

(†) Confer. Cautel. circa Hiſtoriam Eccleſiaſt. Sec. IV. c. XIII. §. 7. ubi quidem, his perpenſis, non negamus, admixta quaedam, quae fabulas ſapiant, uti, de duplici Conſtantini Baptiſmo, de ejus item donatione, a noſtris ſcilicet pridem profligata, interim tamen de ejus Chriſtianiſmo, vel etiam crucis forma, ei apparente, ut dubitemus, adduci hactenus non poſſumus, neque ex iſta cautela, neque ex Obſerv. Halenſ. XXII. celeberrimi ejuſdem autoris, ſiquidem Zoſimi, Auguſti hujus capitis obtrectatoris peſſimi, autoritas tanta non eſt, quae denſa invidiae caligine, hoc ſanctum nomen obſcurare, nedum extinguere queat. Cui breviores de Conſtantino M. * opellas placeat legere, habebit Jo. Frickii, Theol. Ulmenſ. Diſp. de Fide Conſtantini M. haud dubie Chriſtiana, Burk. Goth. Struvii Conſtantinum M. ex rationibus Politicis Chriſtianum, M. Lentnerum, idem Themata pertractantem, Tentzelium, de duplici Conſtantini M. Baptiſmo, Weidnerum, Roſtoch. quatuor integris de eo Diſputationibus, G. Caſp. Kirchmajerum, M. Sylvium, Wolfium, de viſione crucis in coelo &c. quorum tantum non omnium ſententia eſt, defendendum id eſſe, quod tam frivole a multis hodie negetur: noviſſime, Vogtium, Diſſertatione, de Patria Conſtantini M. ad Excellentiſſ. Hiſtoriarum apud nos Profeſſorem, e Gallia feliciter redeuntem, Jo. Guil. *Jonam*, in gratulationis exemplum ſcripta.

* [Vid. C. Vitringa ad *Apocal.* XII. p. 531.]

SECT. I.

HESYCHIOS

PRAECIPUE CLAROS AC ILLUSTRES EXPONENS.

§. I.

HESYCHIUS, Alexandrinus, Sec. III. Scriptor, Christianus, Casaubono, L. I. c. 9. ad Athenaeum, confirmante, Erasmo vero, illi tamen soli, Monachus, auctor Lexici Graeci, in quo infinita, non Novi tantum Foederis, sed LXX. quoque Interpretum loca, explicantur, illustranturque, & ipsa etiam Servatoris nomina, uti & Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorumque, investigantur, ex quibus, plurimisque aliis, Christianum fuisse, doctissime, uti solet, juvenis tum, Jo. Alb. Faber, in Exercit. de Lexicis Graecis, postea vero in Biblioth. Gr. L. IV. c. XXXV. magno doctrinae apparatu, demonstrat. Quantum autem ad ejus aetatem, & utrum ille idem, cum nostro Milesio sit, aquam haerere animadverto, doctissimo alias, celeberrimoque Windeforiensi Canonico, Guil. Cave, in Hist. Liter. P. alt. ubi de Milesio, & hoc Lexicographo perobscure sentire reperitur. Neque tamen solus ille hic vacillat, sed perperam utrumque confundunt, maxima pars Lexici Hesychiani editorum, cum novissimo illo C. Schrevelio, qui Suidae adeo verba, de Milesio nostro dicta, ad hunc applicat, tum etiam Mart. Hanckius, qui libro, de rerum Byzantin. Scriptoribus, elogium, Alexandrino, a Rich. Montacutio scriptum, Milesio vindicat, Cl. Fabricio eam ob rem, merito suo, l. c. notandus. Cujus quidem dissensionis summam, pluribus legere cupientem, ablegamus ad Cl. Jo. Molleri, Flensburg. Homonymoscopiam, p. 478. seq.

§. II. *Hesychius*, Aegyptius Episcopus, Sec. III. & IV. ineunte, sub Diocletiano, & vita, & Martyrio, floruit, ita enim Eusebius, locuples testis, L. VIII. hist. c. 10. 13. Martyrum in Aegypto nobiliores, ac praecipuos enumerat, inter quos Petrus Alexandrinus Episcopus, cum Presbyteris, Fausto, Didio & Ammonio. Phileas etiam, *Hesychius*, Pachymius & Theodorus, Ecclesiarum aliarum per Aegyptum Episcopi. Refertur potissimum hunc Hesychio accepta, nova Sacri Codicis editio, in Aegypto, in qua illos LXX. emendavit ac correxit plurimis in locis, collatisque invicem optimis Bibliorum exemplaribus, accuratissimam eorum editionem est largitus. Celebrantur autem hoc suo tempore tres potissimum famosiores Bibliorum editiones, Aegyptiaca illa opera & studio *Hesychii*, Palaestina, facta per Pamphylum Martyrem, & Antiochena, per Lucianum Martyrem, teste Hieron. in Catalog. & epist. 107. item in Praefat. sudrino priori, Grammatico, & Lexicographo, adscriptam eam velit, & temporis calculo, & historiae testimonio, destitui facile videatur.

§. III. *Hesychius*, ὁ παχυμέρης, sub initium Sec. IV. huic merito jungendus venit, qui Notarius fuit, ipsique Constantini M. aetate vixit. Dicit, eum res ab Imperatore illo gestas, scripsisse, eas, quarum fuisset αὐτόπτης, quod oculatum testem notat, Georg. Codinus, L. de Origin. CSpolitanis. id quod etiam Vossius notat, de Hist. Graec. L. II. c. XXII. (*)

§. IV. *Hesychius*, Alexandriae minoris Episcopus, floruit circa a CCCXLIV. a reliquis non sine causa distinguendus, cum noster, curis saltem, ardoreque, Ecclesiae pacem restituere, sociatis consiliis, curaret, Antiochenae Synodo adhibendo sub Constantio

(*) Notarium, actuarium, eumque, qui celeri manu, notis etiam, significque vocum indicibus, in subsidium accersitis, in chartam conjecit, quicquid ex tempore opus erat, ὁ ταχυγράφος designat. Distinguebantur isti a καλλιγράφοις, quod celeritate saltem & vocum compendiis, hi vero elegantia, & perfecto literarum, linearumque ductu, utcrentur. Tyronem, Ciceronis libertum, ejusmodi notarum inventorem esse, plurimis olim creditum, & Marbillonio, L. I. de Re Diplomat. ubi de literarum ductibus variarum genebim agit, ipse ejus compendiosae notae explicantur. Refert Sozomenus, Christianos, notarum peritos, crucem Christo adjudicasse, id quod utique constat, & a Bernegg. Diatrib. de Sigla, ad Sueton. c. 3. explicatur. Usus potissimum inter Patres, & ταχυγράφων ope, Origenes, quorum quovis tempore septem eum circumsant, ad excipiendum dictata, ordine singuli eo, qui eos tangebat: Librarii vero non pauciores, qui notas illas supplerent, elegantiusque exemplaria describerent, quos non minori cura, ad id operis expolitae juvabant fodmellae, in transscribendis operibus occupatae. Fleury Histoire Ecclesiastique Tom. II. p. 111. Ottonis autem I. aetate, inter literarum studia recepta fuit haec Notariatus ara, apud Ekkehardum juniorem, teste Sigonio, de Aegno Italiae L. VII. Plura qui de his legere volet, justoque commentarios inde conficere, materiam habebit locupletissimam in Gruteri Inscript. Thesauro, Lipsio, Cent. I. epist. ad Belg. 27. Prudentio περὶ στεφάνων hymn. IX. Auson. epist. 22. ad Paulin. Wower. Polymnh. c. V. Vossio, de Philologia c. IV. Efeltenbach. Differt. de Veterum Critico. Σχολιαστ. Velschii de Vena Meditenni. c. 3. &c. De Notarii interim, qualis Hesychius noster fuit, munere in foro, & Ecclesia, quae hic dici non possunt, commodius videantur in Schmidii Lexic. Eccl. p. 145.

tio Imperatore, a. circiter Servatoris CCCXLIV. congregatae, fidemque magni concilii Nicaeni, ſingulari fervore, ſub Anathematis etiam comminatione, cum aliis contra Euſebianos, qui eam Synodum, ut convocaretur ab Imperatore potiſſimum extorſerant, de novo aſſerendo, ſubſcriptioneque, cum nonaginta, praeſentibus ibi Epiſcopis, confirmando, quo ſecuritatem utique, ſinceritatemque Symbolis divinis, praeſtare connitebatur. Extant, quae ibi ſunt acta, legunturque T. I. Conciliorum, apud Euſebium etiam, Chronic. ad a. Chr. CCCXLIV. Socrat. L. II. c. 8. Sozom. L. III. c. 56. Gratian. Diſtinct. 16.

§. V. *Heſychius*, Diaconus Arianus, a CCCXL. cum Martyrio Diacono, itidem Euſebianorum partes tenente, Romam cum literis ad Julium Papam mittebatur, quibus non accuſarent ſaltem S. Athanaſium, ſed Aſclepam etiam Gazenſem, Marcellumque Ancyranum. Sanctus autem Athanaſius ſuarum hic partium non immemor, Sacerdotes quoſdam, divino fervore plenos, eo quoque mittebat, qui publice, praefenteque Julio Pontifice, ſermones de fidei capitibus conferentes, Martyrium Heſychiumque ita confundebant, ut ad concilium potius confugerent hi Euſebianorum Legati, illudque ut conſcriberetur peterent, ubi Athanaſius ſuique comparerent, & ipſi etiam parati futuri eſſent, ad producendas ſuas contra eum diſſentiendi, probandique rationes.

§. VI. *Heſychius*, Comes, data illis hac venia, quando conſentiente utroque imperatore, Synodus Sardicenſis CCCXLVII. eſt conſcripta, Euſebianis, qui in conciliis dominationem ambiebant, praeſidio, praeſtoque erat, *Caſtrenſis*, ex Miniſtris Camerae imperatoris dignitate fulgens. (*) Athanaſius e contrario, ſolus cum ſuis, ſine ullo praeſidio, cauſae juſtitia fretus venit. Neque tamen ſic ſtare poterant adverſarii, ſed congreſſum cum orthodoxis ſubterfugientes, cauſaeque ſuae diffidentes, qua dubio procul excidiſſent, dolos fraudeſque nectebant, fugaque ſibi conſulturi, quo rem diutius traherent, cauſam abitus, per literas, ad Synodi Patres, interſerebant, victoriam imperatoris contra Perſas, cujus concelebrandae cauſa, per literas ab eo avocarentur. vid. T. III. Concil. Athanaſ. Apol. 2. p. 754. Sozom. L. III. c. 11. & alios. (†)

§. VII. *Heſychius*, Presbyter, vixit ſub Conſtantio Auguſto circa a. CCCLX. Amicus, & diſcipulus Hilarionis Abbatis, quem etiam, hominum conſortia fugientem, fugamque in eremum clam meditantem, retinebat prae aliis ſolus in eo monaſterio, dilectiſſimuſque ſemper omnium diſcipulorum habebatur. conf. vita Hilarionis, c. 24. Noſter autem, Monachus etiam dicitur, multorumque Monachorum pater, ad quem Hilarion, moriens propria manu ſcripſit, ſuaſque ei divitias legavit, quarum ſumma erat, Evangelium, tunica ſaccea, cuculla, & palliolum. Sunt, qui novam tranſlationem Graecam, totius Scripturae, emendatis LXX. interpretibus, Heſychio noſtro, Graece peritiſſimo, adſcribant: cum vero hic in Palaeſtina potiſſimum ſit commoratus, maneat ea laus Heſychio, Alexandrino epiſcopo, quam ei vindicavimus §. II. Hieroſolymitano vero illi, qui ſub Theodoſio juniore vixerat, eam cum quibuſdam adſcribere, Hieronymi teſtimonium obſtaret, qui ſuo jam tempore, per Alexandriam & Aegyptum, eam Heſychii editionem uſitatam eſſe, refert. conf. Sixtus Senenſ. Biblioth. in Heſych. Extat interim inſigne pietatis ejus argumentum, quando Hilarionis reliquias, clam ſubreptas, in Palaeſtina, ſacro loco recondidit, pietatemque vivo exhibitam, piis etiam manibus declaravit. Sozom. L. III. c. 14.

§. VIII. *Heſychius*, quibuſdam Iſychius, Presbyter Hieroſol. circa a. CCCCVI. poſtea Epiſcopus. Sequimur in eo Trithemii calculum, Theophanemque in Chronographia. Simlero audit, Presbyter & Monachus, Diſcipulus Gregorii Nazianzeni, ſub Theodoſio II. vivens, quod Nicephorus Calliſtus habet. Tribuit illi Sixtus Libros VII. Commentariorum ſuper Leviticum, ad Eutychianum Diaconum, ſcriptorum: in quibus Myſticam Moſis intentionem ſpiritualiter interpretetur, editionem ita temperatam ſecutus, ut cum Septuaginta conveniret. Verum, uti docte obſervat Ant. Poſſevinus, Commentator in Leviticum non ejus videtur eſſe aetatis, neque deſperandum de alio quodam Hie-

(*) Vocatur aliis Heſychius, Comes & Caſtrenſis, aliis Caſtrenſis ſolum. Duplex autem munus Caſtrenſis eſſe oportet aſſeramus. Fuit notier, Caſtrenſis, & Comes Imperatoris, qui veſtimentorum ejus curam haberet, & Cubicularii vices ſuſtineret, inque comitatu ejus eſſet, adeoque auctoritate ſua, & praeſidiario mittere juvare eos poſſet: fuit autem ſimul dignitate Eccleſiaſtica, Caſtrenſis, conſpicuus, quaſi Caniſtrarius, non quod munus circa thymiamata obiret, ſed qui veſtes ſacrae Patriarchae apportaret. (id quod non ſine honoris opinione ambiebant muneris) & quod maximum, ſedem in judiciis exercendis obtineret, ad quod officium in Synodo hac exercendum, uſui poterat eſſe ſingulari. De ordine ejus, loco que inter ſacra, poſt Patriarcham, officia adminiſtrantes, ex *Codini*, Curopalatae, de officiis CPolit. c. 1. ita habemus: Quinario l. magnus Oeconomus, magnus Sacellarius, magnus vaſorum Cuſtos, Chartophylax, a Sacello. Quinar. II. Proto-Notarius, *Caſtrenſis*, & reliqu. Locus apud Athanaſium, epiſt. ad Solitarios, p. 818. hunc Heſychio locum tribuens, ita ſe habet: *οἱ δὲ λεγόμενοι ἀπὸ ἐκείνου μετ' ἐκεῖνον παιδαγωγοὶ, τῶν συναγίων, Μακεδονίου πάπα, τοῦ Ἡσύχου ὁ κατέχιτης.* unde error eſt Centuriat. Magdeburg. qui in relatione actorum ejus Synodi, Cent. IV. p. 426. ex Athanaſio vertunt, Muſonianum, Heſychium, & Caſtritium. De voce *κατέχητης*, a qua Caniſtrius, & quod idem eſt, Caſtrenſis, varia videantur diſputata a Jac. Gretſero, & Goaro, not. ad Codinum. It, du Freſne, Gloſſar. Scriptor. med. & infim. Graecitatis.

(†) Extant *Libanii*, Sophiſtae, inter opera, epiſtolae ad Heſychium, quendam: quis autem ille ſit, divinando aſſequi non potuimus. Libanium certe & CPoli per hoc tempus haeſiſſe conſtat, adeoque cum *Heſychio*, Caſtrenſi, commercium habuiſſe, probabile eſt. De hoc Libanio extant eruditiſſimae Commentationes Academicae, *Jo. Guil. Bergeri*, Eloquentiae Doctoris celeberrimi, in quibus, quae ad temporum rationes, reliquaque, videri poſſunt.

Hierosolymitano Hesychio, ad quem jure potiori, & enarrationes, super Psalmos, & reliqui Commentarii, referri queant. Consentit in eo, doctus vir, *Petrus Wastbelius*, Doctor Alostanus, Vindiciarum operum Joannis Hierosolym. T. II. L. II. Sect. VII. p. 381. Edit. Bruxell. 1643. fol.

§. IX. *Hesychius*, s. Esychius, Episcopus Salonitanus in Dalmatia, Latinus, circa a. CCCCXVIII. floruit. Augustino familiariter est usus, qui ejus meminit L. V. de Civ. D. & epist. 78. & 80. Auctor potissimum sancto Patri fuerat noster, ut Prophetias & praedictiones de Die ultimo, in scriptura occurrentes, explicaret; unde ab eo binas, easque satis prolixas elicuit epistolas, in quibus eum monet, ne nimis anxie vaticinium de LXX. hebdomadibus Danielis, ad ultimum Christi adventum accommodandum, indagare studeret: ex quo intelligi potest, ingenium illi contigisse admodum subtile, amicitiaque Augustini dignum, qui vero annis eum superabat, cum noster ante, quam Libri de Civ. D. absolverentur, vivere desineret, ante a. CCCCXXIX.

§. X. *Hesychius*, Parii Episcopus, circa a. CCCCXXXV. Concilio interfuit Ephesino I. Congregata autem est illa Synodus sub Theodosio Imperatore, anno imperii ejus octavo, *contra* Nestorium, Episcopum CSpolitanum, qui Mariam non Θεοτόκον, sed χριστοτόκον *saltem* largiebatur; quo quidem unionem personalem, & quae hanc consequuntur, *tollere* sustinebat. In hoc damnatus ille concilio, & debellatus a Proclo, Cyrillo Alexandrino, Mario Mercatore, &c. ex recentioribus autem, a Calixto, Kortholdo, Doucinio, aliis.

§. XI. *Hesychius*, Medicus, CSpolit. Jacobi Medici pater, floruit circa a. CCCCL. Ivit primum *Rhodum*, deinde contulit se Drepanum Argivorum, ibique uxorem duxit illam, quae postea Jacobum illi peperit. Poterat tamen novae nuptae, filiique blandientis amore nullus adigi, ut domi mansisset, qui longae, & XIX. quidem annorum peregrinationi se exponebat, Aegyptumque, Italiam, aliasque terras pervagatus, pro mortuo habebatur. Conjux interim, longae viri expectationis pertaesa, ad secundas nuptias feliciter transit, ex quibus masculos & foemellas suscepit. donec tandem ipse secundus maritus diem obiret. Redit tandem CSpolin Hesychius. Jacobus hinc filiu, parentis adventu cognito, ad eum ivit, eamque disciplinam, quam auspicatus sub eo erat, sub Leone Imperatore, feliciter exercuit, tandemque ad summum in ea scientia fastigium adscendit. conf. Suidas in Ἡσύχιος.

§. XII. *Hesychius*, Presbyter CSpolitanus, Sec. VI. vixisse videtur. Scripsit ille in aeneum serpentem Mosis L. IV. quos Photius memorat, breviterque describit Codic. LI. Fortassis idem ille est Hesychius, quem in collatione quinta, Synodus generalis quinta exscribit; *Ex Ecclesiastica*, inquiens, *historia Hesychii Presbyteri*. conf. *Wastbelii* Vindic. operum Joannis Hierosol. L. II. Sect. VII. Art. I.

§. XIII. *Hesychius Milesius*, Illustris, cujus causa haec potissimum a nobis tractatio instituta, claruit a. DXXXVI. Mileto oriundus, quam ille, cum plurimis eruditissimis Viris, patriam habuit communem. (†) Vixit sub Imperatoribus, Anastasio, Justino, & Justiniano. Scripsit historiam Chronicam, quam Romanam & omnigenam appellavit, annorum MCXC. a Belo Assyriorum Rege; usque ad Anastasii Imperatoris exitum, quam continuaturus, morte filii impeditus, & distractus, filum abrupit. Non autem dubium est, quin in posteriori Annalium parte, a Julii Caesaris imperio, usque ad Anastasii mortem, multa de Christianae religionis ortu, ac incrementis, deque seculorum eorum rebus Ecclesiasticis, exposuerit. Reliqua, quae ad Nostrum faciunt, in ipsa videbimus tractatione.

§. XIV. *Hesychius*, s. Isytius, Episcopus Gratianopolitanus, floruit circa a. DLXXIII. perque multos bene annos Praesulatum ibi tenuit. Viennensis etiam, a provincia, quandoque audit. Subscripsit a. DLXXXIII. Synodo Lugdunensi, Guntchramni regis anno XXII. mense Majo celebrandae. Pacis Ecclesiae amans, ortum in Monasterio Pictavensi scandalum, sedare una cum aliis voluit, cum Chrodieldis, Chariberti quondam regis filia, odio in Abbatissam Leuboveram ardens, exactis sacramentis a Monialibus, ut injectis in eam Abbatissam criminibus, se potissimum eligerent, una cum XL. & pluribus, puellis egressa, comite simul Chilperici Regis filia, pedibus, dum viae per aquas resolutae essent, Turonos venit, e muris Leuboveram projectura. Verum, excommunicabantur illae omnes, ab episcopis Pictavi tum degentibus, quarum ex-

(†) De claris Milesiis plura hic afferri possent, siquidem res ita postularet: notandi tamen quidam, Milesii nostri clariores cives, Thales Milesius, cujus vitam & philosophandi rationem exponit Laërtius, & ad eum plurimi, Aeg. Mensgius. Apulejus Milesius, Metamorphoseon auctor. Clitus Milesius, Aristotelis discipulus, scripsit de patria Mileto. Leander de Mileto & Milesiis commentarium edidit apud Voss. de Hist. Gr. Evanthes Milesius, citatur Laërtio in Thalet. Apollo Milesius, oraculum celeberrimum. Aristagoras Milesius, Anaximander Milesius, Physicus, Anaximenes Milesius, ejus discipulus, Phocylides Milesius, Philosophus, Theognidis aequalis. Herodotus Milesius, cujus tamen patria dubia adhuc Vossio de Hist. Gr. L. III. p. 293. edit. Lugd. B. 1624. *

* [Adde Timotheum, celeberrimum illum citharoedum; de quo Steph. Byz. v. Μίλητος, & Tho. de Pinedo *Brevior. Add.* p. 775.]

excommunicationem reliqui etiam epiſcopi, qui apud Regem Guntchramnum erant, inter quos etiam *Heſychius*, confirmarunt. Factum id a. DLXXXIX. teſte Carolo le Cointe, Annal. Eccleſiaſt. Francor. T. II. Vixit autem noſter diutiſſime, & ab anno DLXXII. ad DCIV. epiſcopatum tenuit, quod ex Catalogo Epiſcoporum Gratianopolitanorum a Cointio, juſto ordine ſuppeditato, patet.

§. XV. *Heſychius*, ſ. Iſytius, Presbyter, tandem Patriarcha Hieroſolym. ſub initium Sec. VII. floruit, quem qui ſub Theodoſio jun. vixiſſe putant, ſuomet judicio falluntur: extat etenim Gregorii M. epiſtola ad eum ſcripta, & reperiunda L. IX. ep. 40. Habendum hic, alia ſcripſiſſe noſtrum Presbyterum, alia Patriarcham. Eſt quod in eo viro laudemus prudentiam, inter tot in Oriente mutationes, pietatemque. Coeperant enim tempora Chriſtianis moeſtiſſima Orientalibus, hoc apud Hieroſol. ſacris praeſidente; hinc graviſſime, in Introductione in Pſalmos, ad poenitentiam hortatur ſuos. quos vero ad eum commentarios pertinere, utique ex temporum collatione evincitur. Choſroës enim Perſarum Rex, audita Mauricii imperatoris morte, pacis ſoedera rumpit, totique Orienti graviſſime imminet, donec anno DCXIV. totam Syriam, Palaeſtinam, ac Phoeniciam, graviſſimo ſuo jugo, miſerando omine ſubjiceret. Ceterum Commentarii in Leviticum, L. VII. aliaque plurima, hunc autorem agnoſcunt, quorum juſtum Catalogum dedit Caveus, P. I. Hiſt. Lit. ut adeo his diutius immorari, negotii noſtri non ſit futurum, non minus, ac illud, quamobrem, & quo jure, in Indice librorum prohibitorum, expurgandorumque, p. 137. Edit. Madrit. 1667. fol. nomen ejus legatur, quod quidem indagare noſtrum non eſt, qui eam, Theologorum alumnis operam, relinquendam putamus. (*)

§. XVI. Nulli autem dubitamus dari plures Heſychios, neque etiam ignoramus, maluimus tamen eos ſaltem recenſere, quibuſcum agendum nobis erat, quique maximae inter Heſychios confuſioni locum hactenus dedere. Interim nec illud ipſum negamus, *Caveo* ſapientiſſime ea verba excidiſſe: Delio ſane natatore haec res indiget, neque aliud in re tam obſcura, quam divinare, nobis fas eſt. A Cl. tamen Kuſtero, Praefat. ad Herodotum, † qua de Mileſio noſtro, ejuſque religione differit, diſſentimus, doctioribus ea dijudicanda ſe relinquere, dicente. cum equidem res tam ardua non ſit, quin vel a Kuſtero, vel alio quodam confici, ac in tuto locari queat. Hinc quantum ejus fieri poterit, videbimus, ut res a nobis expediatur, ſperantibus interim, fore, ut quantum ex iis, qui cum Cl. Kuſtero ſunt collocuti, & id etiam ex literarum cum eo commercio habent, Patronis noſtris colendis, percepimus, Cl. Vir in nova Lexici Heſychiani editione, eam omnium Heſychiorum mentionem, & Mileſii comprimis noſtri faciat, ut magnus inde, & in nos, & in publicum fructus, redundare queat.

(*) Meminit Sancti cujuſdam *Heſychii*, & Marci ſimul, Iſaiae, Barſanaphii, ac Dorothei, additque, inſimulatos eos eſſe a Pamphilo, *Theodorus Studita*, Abbas Monaſterii Studitarum. deteſtatur autem hanc hominis calumniam, in teſtamento ſuo, Sermonibus Catecheticis annexo. Quis autem ille ſit Heſychius, hactenus expiſcari non licuit, niſi eum velis, quem hoc paragrapho Hieroſolymitanum Patriarcham vidimus, quem a Theodori aetate non procul abeſſe, prolixius monſtrabimus propediem, in *Hiſtoria Monaſterii Studitarum*, apud CSpolitanos, in publicum emittenda.

† [Pariſiis eam cum aliis Kuſteri chartis hodiedum latere intellexi.]

SECT. II.

HESYCHIO MILESIO, ILLUSTRI,

LOCUM INTER CHRISTIANOS VINDICANS.

§. I.

Postquam hac ratione Hesychios, suo quemque loco vidimus, apparet, quo loco habendus sit noster; & ille quidem, neque cum Alexandrino Episcopo, neque hic cum nostro, nec noster cum alio quodam confundendus, sed Seculi VI. Scriptor, singulari dignitate conspicuus, quam ex Illustria, quod quidem non cognomen est hoc loco, appellatione, non nisi, quam Praefectis-Praetorio, & Praefectis urbis, dari solita, colligere licet. Nunc caput rei, cujus causa haec a nobis scriptura est suscepta, aggrediendum. Et primum quidem cum Suida, Lexicographo, quem Scaliger ad Varronem, Bailletus, in Doctorum Judiciis Tom. III. & Jo. Bona, in notitia autorum, quibus in conscribenda Psalmodia sua usus est, Monachum Byzantinum appellant, Casaubonus vero, in notis ad Athenaeum*, Christianum fuisse demonstrat, negotium nobis erit, quando de Hesychio Milesio nostro commentatus, Graecanica laborum vanitate refertum, neque pro Christiano habendum scribit, propterea, quod in illa tabula, sive Indice, virorum, ob eruditionem celebratorum, nullam faciat Ecclesiasticorum Doctorum mentionem. Verba ejus † ita se habent: Εἰς δὲ ὁ πίναξ τῆς ὑπ' αὐτὸν παιδείας λαμβάνων ἐκκλησιαστῶν διδασκάλων ἔδνος μηδεπω. ὡς ἐν τούτου τέλπομαι παρέχων, μὴ ὄντας αὐτὸν Χριστιανὸν, ἀλλὰ Ἑλληνικῆς μαθητοπολείας ἀνάπλεων. Venit hic, quod praemonendum, huic loco, & nobis simul subsidio, Jo. Meursius, doctissimus auctoris nostri enarrator, quando judicat, Suidae excidisse nomen Diogenis Laërtii, quando dicit: ἔγραψεν ὑπομνήματα, ὁ πίναξ τῆς ὑπ' αὐτὸν παιδείας ὑπομνημάτων, ubi verba adjicienda erant, (ὡς Διογένης ὁ Λαέρτιος) οὗ ἔστιν καὶ τοῦτο τὸ βιβλίον.

§. II. Scripsit autem Diog. Laërtius, Philosophorum vitas, eorumque dogmata explicavit, quorum deinde omnium excerpta nobis dedit Hesychius, & quae pluribus ille dixerat, in brevioris scripturae formam contraxit. Jam vero minime opus erat longa, prolixaque recensione eorum, qui eo non pertinerent, neque in Laërtio reperirentur, cum hoc, ab instituti sui rationibus plane animadverteret alienum. Maluit potius suo quaeque loco tractare noster, & cum profana tractaret, a sacris sibi temperare, ne profanis sacra miscuisse videretur; quod ad excusandum eum profert Henr. Stephanus, praefat. libello ejus 1593. una cum Diog. Laërtio edito, praefixa. neque id displicet Jo. Meursio, Not. ad eundem, Edit. Lugd. Bat. 1613. in forma octavi ordinis, p. 110. Nos vero juvat, in eliminando hoc Suidae argumento, aliorum quoque auctoritas, qui pro epitome ex Laërtio, hunc libellum habent, Hesychiumque adeo plagiariorum numero inferunt, quod Gassendum in eo secutus, facit Jac. Thomasius, de Plagio Literar. p. 204. ubi mirari licet, Thomam Creninm, Dissertatt. de Furibus Librariis, intactum hunc nostrum reliquisse, cum alias, totus tantum non eruditorum orbis, plagiarius ei videatur. Silentio autem hic minime est transeundum, quidnam sibi velit, quod Graecae Hesychium vanitatis in laboribus suis plenum, appellet Suidas. Dubit vero ipse, sensum ὁ μαθητοπόλος, e Lexico suo, quo, inane, vanum, stultum, demens, irritum, & frustraneum quid, quod μάταιον est, fornare dicit. Et recte quidem illud, siquidem ad μαθητοπόλους Graecorum applicetur. Postquam enim semel judicio praeventus, ex sola, Scriptorum Ecclesiasticorum citatione omissa, e Christianorum Diptychis hunc nostrum expungendum statuerat, reliqua ὁ μαθητοπόλος facile in eum quadrare, cognoscebat. Quae enim religio magis vana, quam illa Graecorum, quibus, ipse Porphyrius objiciebat, Graecus, Apostata, eos ab ea via, quae ad Deos duceret, cujus quidem calles quamplurimos barbari invenerint (ita autem Christianos, cum quibus

* [p. 31. *Hesychium* Lexicographum Christianum fuisse, demonstrare conatus est Casaubonus. De *Suida* non agit, nisi quod p. 23. *cucullatum Grammaticum* eum adpellet. Lapsus itaque memoria videtur Cl. Auctor.]
† [Integrum Suidae locum huic Dissertationi subjicium.]

bus antea ſteterat ille, appellat) longius aberraſſe. teſte Theodoreto, de curandis Graecorum affectionibus, Serm. I. & IX. quo elegantes, comptoſque (κεκαλλωπισμένους) ſermones, audire percupientes, hiſque quam maxime permulceri quaerentes, quos vero tales *non* invenerint, riſu effuſo contemnentes, ac maledictis onerantes, μαίνεσθαι ſpirare, demonſtrat. Et licet, ad ipſam Graecorum Idololatriam, reſpiciat etiam Suidas, quae μαζονόμοι non raro nomine, apud Novi Foederis ſcriptores, teſte Hammondo & Clerico, ad Rom. VIII. venit, non tamen negaverim ego, ad alia quoque reſpexiſſe eum, hanc μαζονομίαν Graecorum improbando, cum conſtet, ipſos Romanos, in religione ſua licet vanos, ut plurimum hujus Graecorum levitatis evitandae cauſa, Maſſiliam potius ſuos miſiſſe, ut eo minus corrumperentur, teſte Cellario, Diſſert. de Studiis Romanorum Literariis. Haec tamen, quantumvis vere de Graecis, a Suida ſint dicta, minus ad noſtrum applicari poſſe, ex antea adductis, & proferendis adhuc in medium, argumentis, clare, aperteque conſtabit.

§. III. Et *Mileſii* quidem nobis cognomen argumenti non parum contra Suidam ſuppeditat, cum vel ex itineribus Pauli Apoſtoli conſtet, Miletum ſalubriori doctrina illuſtratam, ad veram fidem converſam eſſe, ut conſtat ex Actor. XX. Aliud vero eſt, quod Act. XXVIII. occurrit, Melitaeque nomine compellatur. Non autem dubium eſt, Miletum, aliquot centum jam annis ante noſtrum, Martyres habuiſſe, ſub Diocletiano, teſte Auguſtino Lubino, in Martyrologia Geographica, Pariſ. MDCIC.* edita, p. 302. ubi ad d. 28. Julii, S. Acacium, ſub Diocletiano paſſum, evidenter commemorat. Et erat quidem Heſychiorum nomen in Eccleſia ſatis frequens, quod ex corum Catalogo, ante expoſito, uberius patet, cum celebriores inter eos, a nobis, non ſine difficultate, ſtudioque ſint recenſiti. Neque tamen inficias poſſimus ire, ſiquidem fides ſit habenda Euſebio, L. XI. vit. CStini, c. 50. reſtitiſſe apud eos non pauca, quae Gentilium ſacra tuerentur, oraculum ſcilicet Apollineum apud Mileſios, occulto murmure adhuc latens, a Diocletiano, de pacandis imperii ditionibus per aruſpicem conſultum, quod quidem non e tripode amplius, per Sacerdotem ſuam reſponſa dederit, ſed ex antri fundo, quoniam juſti (ita Chriſtianos appellabat) id impedirent, quo minus vera diceret, de rebus reipubl. ſtatum concernentibus, ſe excuſaverit. quod quidem jam antea, infauſta piorum coetui minatus Imperator, pro vero accipiens, diriſſimae perſecutionis conſilia agitavit, maleque occultata, peſſime eſt executus. Ubi interim non deſuere apud Mileſios, qui fidei defenſores exiſterent, inter quos numerare licet, Epiſcopum apud eos Euſebium, qui Concilii Nicaeni tempore, non ita multo poſt inſecuto, ſubſcripſit. quod ex Catalogo Epiſcoporum Nicaenorum patet. Seculo autem V. Eccleſia varia habuit hoſpitia in Caria, ubi Mileti potiſſimum meminit Socrates, H. E. L. VII. c. 29. Ut adeo non praeter rem ſit, credere, Heſychium, majorum exempla ſecutum, & ſub imperio, inque aulis Chriſtianorum Principum degentem, eam potiſſimum religionem profeſſum, quae longe lateque dominaretur, palmamque illi gentilium, tot tantiſque cladibus ereptam, tantis ſub tutoribus, oſtentaret.

§. IV. Erat enim, eo quo noſter vivebat, ſeculo, ea jam nominis Chriſtiani amplitudo, ut paucos reperires, qui aperte ſe Gentiles profiterentur, in iis potiſſimum partibus, quae cultiores, ſedique vel Conſtantinopolitanae, vel Romanae etiam, erant propiores. Unde colligere datur, parentes Mileſii noſtri, nec ipſos alienos a vero numinis cultu extitiſſe, quum nomen inſuper matris, quod *Sophiae* illi eſt, in eam nos ſententiam adducat. Et eſt quidem illud, quod foeminis gentilium, utrum conſuetum fuerit, valde dubito, ad minimum fateor, me non meminiſſe exemplum, quod in contrarium afferri poſſit. Interim Sophiae nomen, jam multo ante in Eccleſia colebatur, ſiquidem in ejus honorem templum, CSpoli erat extructum, triginta quatuor annis poſt, ab Eudoxia ſolenniter dedicandum. teſte Sozom. L. IV. c. 26. quod vero Nicephorus longe poſt a Juſtiniano Imperatore illud conditum putat, LXVII. c. 20. hoc equidem eorum ſuffragiis deſtituitur, qui illis propiores temporibus extiterant. Sophia autem, Imperatoris Juſtini II. conjux, pietate adeo conſpicua fuit, ut ſtemma quoddam ab ea, & conjuge ſua, Conſtantina, Auguſta, artificioſiſſime conſtructum, in templo ſuſpendendum judicaret Mauritius Imperator, ut habet Paulus Diaconus, L. XVII. rerum Roman. Unde patet, fatis familiare Chriſtianis fuiſſe Sophiae, eo jam tempore nomen, tanto minus inſuper nobis habendum, quo magis, accedente reliquorum argumentorum praeſidio, ſtabiliri poteſt.

§. V. Non praeter rem fuerit, hic annotaſſe, fuiſſe noſtro filium, *Joannis* nomine compellatum, adeo parenti in deliciis habitum, ut eo mortuo, ex doloris impatientia, animum a conſcribenda hiſtoria, quae Imperatorum res geſtas comprehenderet, a morte Anaſtaſii, Juſtini, uſque ad Juſtiniani priores annos continuandas, abſtraheret, hoſque poſteriores Commentarios, quominus pertexeret, cauſas reperiret. Unde duplex noſtrae ſententiae accedit argumentum; & primum quidem, quod filio Joanni, Chriſtianum

* [MDCLXI.]

num impoſuerit nomen, parens ipſe Chriſtianus, qui ſi gentilis fuiſſet, haud dubie ab hac appellandi ratione abſtinuiſſet. Alterum vero, quod opus, in conſcribenda hiſtoria Imperatorum, purioribus ſacris deditorum, non ſuſcepturus fuiſſet facile, niſi ipſe iiſdem ſacris initiatus, cui ſane difficillimum fuiſſet, exponere res, gloriolisſime, toga ſagoque geſtas, quibus totus Oriens plenus erat, earumque patratores non ſumma laude condecorare, & ad coelum uſque extollere. Quis autem rite aeſtimare poſſet ea, quae in Eccleſiae commoda ab iis profluxerunt, niſi ipſe juſtus eorum aeſtimator?

§. VI. Verum, videamus nunc de argumentis, ex ipſo, de claris Viris, libello petendis. Refert in Numenio, Mileſius noſter, eum Platonis ingenium nota perſtrinxiſſe, quod ea, quae de Deo, mundoque prodiderit, e Moſis libris ſubripuerit, unde, exclamaret: Τί γὰρ ἐστὶ Πλάτων ἢ Μωσῆς ἀτλιζων! Prodit hic argumentum, hominis Chriſtiani, Mileſius, ex ſententia quidem, Doctorum ſui, & ante eum, unius alteriuſve ſeculi, admodum uſitata. Cum enim Chriſtiani quidam, ex Academia profecti, tantum ſibi indulgerent, ut Platonem ingratiis ſuis, Chriſtianum etiam eſſe vellent, dandum aliquid illis putarunt Sancti Patres, eumque, vel in Phaedro, quae divina, ſcripta erant, ex Moſe hauſiſſe concedebant, ut Origenes contra Celſum, L. VI. & L. IV. ὁ δὲ τῷ τοίτῳ φὴσι τὸν ἀγαθὸν ἐκτὸς εἶναι, ἢ πεῖ τοῦ Ἰησοῦ ἱστορίας τινὰ, τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἢ λέγων: vel ἢ ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφον eſſe largiebantur, quomodo apud Clementem audit Plato; vel per interpretem eum Hebraeas literas didiciſſe, cum Auguſtino L. VIII. de Civ. D. c. 11. aſſerebant; vel cum Ambroſio, eum Jeremiae Prophetae familiarem, cumque eo profectum eſſe, credebant. vid. Aegid. Menagius, obſervat. in Laërt. L. III. Segm. 6. Quos hic ſecutus Mileſius, ſententiam Numenii bono animo allegat, neque quod in ea reprehenderet, deprehendit. Et de Platone quidem, ejuſque in Judaeam itinere, multa varie diſputantur; in vita tamen ejus, ab Olympiodoro Graece ſcripta, nihil tale reperiri, apertum eſt, praeter quod Aegyptiis peragratis, ad Perſas diverterе voluerit, ſed coorta tempeſtate id efficere nequiens, Phoeniciam adierit, cumque Magis illic agentibus verſatus, Magicam didicerit, ut habetur in vita ejus, Editioni Menagianae ſuffixa. (*)

§. VII. De Sibyllis loquens Mileſius noſter, temperare ſibi non poteſt, quin omnia, quae ad divinitatem illis conciliandam, facere poſſunt, ſtudioſe, ſeduloque afferat, eoque ſimul indicium religionis, qua ejus de Chriſto vaticinia complectatur, ſummae, ſuppeditet p. XXXVI. edit. Meurſianae. Inter decem Sibyllas primam nominat, quae ſit ἡ Χαλδαία, cui Suidas explicationem addit, ἡ πρὸς πᾶν Ἑβραϊκὸν ὀνομαζομένη. addit noſter, ἡ πεῖ Χριστοῦ προφητεύσασα, quod majus quid indicat. Chriſti enim meminit, ſenſu apud Chriſtianos recepto, ipſoque honoris vocabulo, credentibus communi, cui non opus erat, utpote noto undiquaque, aliquid adjici: quorum tamen quid in dedecus, aliorum more ductus, forte adjeciſſet noſter, niſi ipſe nominis cultor extitiſſet. τὸ προφητεύειν autem, licet non raro apud ſeculares ſcriptores occurrat, ſenſu tamen plane Eccleſiaſtico hic uſurpatur, quandoquidem, quod iſtorum temporum ſcribendi ratio docet, a Chriſtianorum loquendi rationibus abſtinebant, ii qui ſecus ſentiebant, noſtri autem mentem, verba ſtatim ſubſequentia, uberius declarant. εἰ δὲ, pergit, οἱ τύχοι αὐτῆς ἁπλαῖ; ἐνίσταιτο, ἢ ἄμετρος, οὐκ αὐτῆς ἡ αἰτία ἀλλὰ τῶν ταχυγράφων, ἀσυμφασάντων τῇ ῥύμῃ τοῦ λόγου. Occurrit hic validiſſime, argumentorumque pondere, objectionibus, quae forte contra inſpirationis divinitatem ſtrui poterant, dicendo: quod ſi etiam verſus aliquot vaticiniorum de Chriſto, imperfecti, metrique legibus parum convenientes, inveniantur, non id quidem vatis vitio factum eſſe, ſed notariorum culpa accidiſſe, qui vim ac flumen verborum calamo aſſequi nequiverint. Cui autem uſui, quave neceſſitate coactus, omnia ea, quae de Chriſto prolata ſunt, juſtis adeo legibus, & exactiſſima munditie comparere optat, cumque factum non ſemper id ſit, tanta cum cura excuſat, quam quod Chriſtianus eſt, eoque Gentilium objectionibus, qui pro mancis, mutiliſque ea habita volunt, ſtrenue, docteque obviam itum cupit? Enimvero, de his vaticiniis, cum priorum ſeculorum Eccleſiae Doctoribus, plane communem habet ſententiam, noſter, quam hi in tantum tuebantur, in quantum contra adverſarios Gentiles, Sibyllina oracula adorantes, utilis illis eſſe poterat. Unde hoc tandem adjicit; ἅμα γὰρ τῇ ὑστεραίᾳ, ἐπίσταιτο ἡ τῶν λεγομένων μίμησις. perfectioni ſcilicet inſpirationis nihil deeſſe, quod ſi vero quid illis deſit, cautam eſſe, quoniam, ſimul cum ceſſaverit inſpiratio, dictorum quoque memoria interciderit, ac mortua veluti ſit, ita ut illos, qui ex ore

(*) Vetus non ſolum traditio eſt, Platonem in multis cum ſacris tabulis convenire, ſed recentiores etiam multam operam, ut id demonſtrarent, impenderunt. vid. Aug. Steuchus Eugubinus, L. de perenni philoſophia. Andr. Dacerius, Differt. de Platone, notiſque ad Gallicam Dialogorum verſionem. Parkerus in Differt. Anglic. de Trinit. Platon. Henr. Mohr, in Cabala Philoſoph. ſuper c. I. Genes. Franc. Patricius, in Ariſtotele exoterico, ubi monſtrare vult, in XLIII. capitibus, in quibus ab eo diſſentiat Ariſtoteles, cum doctrina Chriſtiana eum convenire. Huetius Demonſtr. Evang. Propoſit. IV. c. 2. Tob. Pfannerus, in Theolog. Gentil. &c. quorum quidam conſentire eum, alii diſſentire, multo opere ut probent, annituntur. Alii alios quoque cum Scripturae oraculis conciliare voluerunt, quale quid in Adverſar. L. III. c. 10. cum Epicteto fictarum ſe promittit Caſp. Barthius, Libro de Chriſtianiſmo Epicteti, edendo. de quo nos inſtituto, alio loco & tempore videbimus.

ore ejus ea excepissent, juvare amplius non potuerit Sibylla. Et hoc quidem est, quod suo modo, ad ethnicos, de veritate vaticinii de Christo convincendos, καὶ ἀληθῶς sufficere poterat. (*)

§. VIII. Clarissimum porro, simulque apertum sententiae nostrae accedit argumentum, ex auctoris nostri, de *Triboniano*, insigni juris architecto, sententia, quam ut in subsidium demonstrationis nostrae vocemus, duplici ratione persuademur. Arguit primum, ejus adulationem, quando dicit: Τεκμαιρὸς πολαιῶν Ἰουσταιρὸν βασιλέα ἐπιθυ αὐτὸν, ὅτι οὐκ ἀποθανοῦται, ἀλλὰ μὲ σαρκὸς εἰς οὐρανὸν ἁρπαγήσε. Quis hic non videt, ridere nostrum, stultitiam, adulationemque Triboniani, divinitatem Imperatori pollicentis non solum, (quod in Gentili tolerandum ex eorum principiis erat) verum & insigni mendacio adjecto ei imponentis, ac si vivus cum corpore in coelum esset rapiendus. id quod tamen nec ullo exemplo, quo tale quid unquam factum esse probaret, poterat demonstrare. Tempero nunc mihi ab illis, quae hanc in rem proferri poterant, sciens, volensque; illud tamen inde elicio, quod si Gentilis fuisset Milesius noster, illud sane vel occultasset, quod adulationis & mendacii hic reperiebatur, vel non adeo in risum detorsisset. Quantum ad alterum, quod sententiae meae patrocinium praestat, argumentum, *Gentilem* & *Atheum* eum appellat: τῷ δὲ ὁ Τεκμαιρὸς Ἕλλῃ ἐ ἄθεῳ. Siccine de Gentili loqueretur ipse Gentilis? Nemo facile hoc credat. Ἕλλην *paganum* vertit Jo. Meursius, & recte ad nostram sententiam, cui robur addit Suidas, adjiciens: ἀλόξῳ καὶ πόῤῥω ἐ τῆς Χριστιανῶν πίστεως. Ἑλλήνων enim nomine, τὰ ἔθνη, gentiles, sive paganismo addicti, cujuscunque regionis, incolae intelliguntur. Eadem etiam notione vocem hanc patribus Graecis venire, Justini M. Clementis Alexandrini, Athanasii, reliquorumque auctoritate, constat. Conf. *Salmas.* de Lingu. Hellen. *Burton.* Hist. Gr. L. p. 44. & Magnif. *D. Boerneri*, Theologi Lipsi. celeberrimi, Dissert. de Barnabae & Pauli Actis Lycaonicis, §. V. Ἄθεον vero, quando dicit, numero eorum plane excludit, qui sacris purioribus, vel quibuscunque saltem, essent addicti. Nimium forte, de tanto legislatore, *sacratissimasque constitutiones, in luculentam consonantiam erigente* (uti Imperator loquitur) *Triboniano*, *Viro magnifico*, *Magistro*, & *sacri Palatii Exquaestore & Exconsule.* Verum, quicquid demum, de Athei appellatione, ad eum excusandum afferri poterat, non tamen plus illi proderit, quam ut inter ethnicos locus ei adseratur. Qui vero *impium*, hac voce denotari volunt, ne sic quidem causae suppetias fuerunt, cum, subductis ex Graecorum sensu, accurate rationibus, impii, omnisque religionis contemptoris titulus illum maneat, nullaque ratione vel emendari, vel excusari possit. Mihi equidem idem foret, vel maximis elogiis ornare hominem, tanta ubique asseclarum cohorte, stipatum: quando tamen video, aliis etiam, mea laude superioribus, eadem in mentem venisse, Hesychii Milesii auctoritatem secutus, haec asserre non detrectavi. Interim a calumniae opinione vindicandus est noster, quandoquidem ex omni antiquitate, consensum illi conciliare in promtu esset, nisi sufficeret, quosdam nominasse. ita autem *Procopius*, Persic. L. I. postquam in laudes ejus exspatiatus esset, addit: εἰς δὲ φιλοχρηματίαν δυσμαίας ἐστομυδαχὸς, οἵός τε ὢν κέρδεις καὶ τὸ δίκαιον ἀποδιδόναι. quo cum consentit *Suidas*, eademque verba exscribit, de suo addens, quod quaestus causa jus vendiderit, singulis autem diebus, plerumque leges, partim quidem sustulerit, partim vero scripserit, jus vendens petentibus, pro cujusque necessitate. Unde etiam mortuum scribit, nihil ingrati, vel injucundi (quod, *nihil jucundi* vertit Aemil. *Portus*, & illud forsan ex negligentia, cum οὐδὲν ἄχαες, *nihil injucundi*, *nihil ingrati*, vertendum esset) a quoquam perpessus. Verum ne ultra limites. Animadverto enim Suidam injuriarum postulari, utpote nimis curiosum, inconsideratisque ac superstitiosis narratiunculis doctis imponentem, ab Enoch. *Glaesero*, Novell. Justiniani Constitutionum, in Academ. Julia, P. P. in Compellatione ad Studios. Juris, Helmst. 1663. Sufficiant illa, ad asserendam judicii Hesychiani, de Triboniano veritatem, sententiae vero nostrae certitudinem, qua credimus, haud dubie eum, a rigorosa adeo Triboniani censura, sibi temperaturum fuisse, siquidem iisdem cum eo sacris, fuerit junctus. (†)

§. IX.

(*) De Sibyllis erudita ubique differuntur, Ecclesiae etiam Patres, eorum auctoritate usos, concernentia. Loca, quae de Christo agunt, excerpsit, & cum Protevangelio Jacobi, aliisque apocryphis edidit Mich. *Neander.* De Sibyllis extat *Onufrii* libellus. *Blondelli* liber de Sibyllis. Servatii *Gallaei* Exercitationes XXII. de Sibyllis. Dan. *Clasenius*, de Oraculis, plurima de Sibyllis & Sibyllistis habet. *Huetii Origeniana*, & mille ejusmodi. Omnia quae ad Sibyllas spectant, admiranda industria doctrinaque, congessit excellentiss. *Fabricius*, Biblioth. Gr. T. I. L. I. c. XXXII.

(†) *Divinitatis* equidem *affectatae* reos, quorum ingens, opera forsan non cootemnenda, strui posset Catalogus, habemus complures: *Alexandrum M.*, *M. Antonium*, *Vespasianum*, *Platonem*, *Apoll. Tyanensem*, *Domitianum*, *Herodem*, *Agrippam*, *Justinianum*, (unde illae honoris praestationes: Justiniani divinum Numen, nostrum Numen, divinum verbum nostrum, nostra divina) *Zarmanochegam*, apud Lucian. in Peregrin. & Gilb. Cognatum ad eum. quo spectat etiam Morhofii Diss. *de divinitate Principum.* *Menecratem Medicum*, cujus insolentiam detexit auctor Dissertationis sur les Oeuvres de Mr. de St. Evremont, his verbis: *Le Médecin Menecrate étoit si persuadé de venir de Jupiter, qu'il signoit, Menecrate Jupiter, dans toutes les ordonnances. Je croi même, que cette pretendue grande naissance est l'attention particuliere des petits esprits, qui marquent des moindres qualitez pour se faire une merite commun, recourent a l'ancienneté de leur maison, pour se distinguer du reste*

§. IX. *Hypatiae*, Theonis Alexandrini, Sophistae filiae, memoria ab Hesychio facta, assertionem nostram, non parum firmatura, inque tuto collocatura esse, videtur. Breviores autem erimus, in ea recensenda historia, siquidem propositi operis regulam tenere velimus. Erat *Hypatia*, virgo, & doctrina, & forma excellens: & illud quidem ei invidiam, hoc forte, mortem afferebat. Alexandriae, in qua urbe Platonicam cathedram, justa successione tenebat, magna ubique auditorum, eamque vigentium celebrabatur copia, inter quos equidem non deerant, qui philosophiae terminos egressi, ubi eam docte audirent profitentem, virtutemque hanc pulchro in corpore habitantem, specularentur, amoris igniculos susciperent, quos vero illa observans, qua erat moderatione, morumque innocentia, extinguere in herba, callidissime sciebat. Interim ne sic quidem suspicionibus carebat, quin cum Oreste, urbis Praefecto, quem officii forsan causa, aliquoties visebat, clandestini commercii conscia haberetur. Erant autem Cyrillo, Patriarchae, veteres cum Praefecto inimicitiae, quas vero illa alere, eredebatur. Hinc ut victima odii extaret, ratio habebatur, quam irae plenus, vindictamque spumans, *Petrus* quidam, Lector, reperisse ratus, ab Oreste redeuntem, curruque vectam, convocata plebe, detraxit miseram, inque templum, a Caesare nomen sortitum, protractam, rabiosa protervaque manu vestibus nudavit, & ne quid immanitati deesset, nudatam, testarum (ὀστράκων) fragmentis enecavit, in partes discerpsit, discerptam, in locum, qui *Cinaron* dicitur, deportavit, ibique cremavit. (*) Adspersit id facinus non exiguam labem, cum Ecclesiae Alexandrinae, tum ejus Archiepiscopo Cyrillo, quam tantum abest, ut deleverint, ut potius per ora, scriptaque Socratis, Nicephori, Gregorae, Philostorgii (qui tamen ad Homousios pessime id facinoris refert) Photii, Suidae, & tantum non omnium, traduceretur. (†) Et erat id quidem, ex quo validum, in Christianos invehendi, argumentum petere poterat Milesius noster. At enimvero, ille, quasi minus hujus facti conscius, id celat, & ne verbo quidem ejus suspicionem praebet, qui totus in eo est, ut id palliet, idque quod Cyrillo, & Petri asseclis debebat, in eos, qui sapientiae ejus eximiae, & potissimum in Astronomia scientiae, inviderent, *Alexandrinos*, transfatom velit. τοῦτο δὲ πέπονθε, inquiens, ὑφ' ἡ τῶν ἀλλοτρίων σοφίαν, καὶ μάλιστα εἰς τὰ περὶ ἀστρονομίας. Facta ista caedes est, anno post Chr. n. CCCCXV. teste Socrate L. VII. c. 15. quam non ignoratam fuisse nostro, non longe post viventi, habemus rationes, cur credamus, eam tamen hoc loco dissimulatam eum animadvertimus, firmiter inde concludimus, a purioribus eum sacris haud quaquam fuisse alienum.

§. X. De *Philone* differens, Milesius noster, a Graecis se ac Gentilibus aperte distinguit, quando notum illud ac vulgare (παρ' Ἕλλησι) *apud Graecos*, de Philone proverbium adducit, *quod ita sonat*: ἢ Πλάτων Φιλωνίζει, ἢ Φίλων Πλατωνίζει. Similitudo, quod addit, *ex phrasibus*, sensuque Platonis, quem Philo per omnia sequatur, est petita. Neque tamen hoc ei saltem pretium, quod Platonicus sit, statuendum, qui praeter Judaicam philosophiam, Pythagoricam, quoque hausit, cumque illa conjunxit; hinc Nicephorus, II. 15. ἕκτον τὸν ἀμφοτέρως φιλοσοφίας, appellat. Dedit autem prius illud membrum ἢ Πλάτων Φιλωνίζει, in errorem imperitos quosdam, Hieronymum *Donzellinum*, ejusque suffragatores, ut contenderent, Platonem ex opera & studio Philonis Ju-

veste du Monde, p. 273. Quantum autem ed CStini M. consecrationem, ea quidem paucula a Gentili illa retinet, id quod *Cheriurie* dandum putamus, Relig. Gentil. c. XI. de Cultu Heroum: quando scilicet, sancti Imperatoris anima, linteo velata, in coelum, idque quadrigis, vehitur, exertoque inde brechio excipitur; potest tamen eadem consecratio ritus, Christiano plane, concipi; id quod etiam factum est, quo alter veluti Elias, curru igneo in coelum raptus, indigitatur, conf. Laur. *Begeri*, Vol. III. Numifm. Imperat. p. 179. ubi *Eumenii* Rhetoris de hac consecratione sententiam, vivo eo adhuc facta, & *Trissani* etiam Typicam Numi explicationem, cum Numo ipso, non minus ac *Harduini* de ejus inscriptione, opinionem sistit, doctaque commentatione illustrat.

(*) Quaerere hic licet, unde tantum in eam Clericorum odium conflatum? utrum ex eo, quod fuerit Gentilis? & sic obstare poterat, quod Clericis haec ratione nullum in eam neque jus, neque vis ulla competeret. An vero Christiana? & sic indignum erat, si vel maxime famularis fuisset Orestis, emendationem ab executione adeo crudeli quaerere. Sed fuit Philosophe, coelique ac sydetum celeberrima? At vero hoc neque Petro illi, neque Cyrillo, necis, & violentiae debebat esse causa. Profitent tamen, ex quibus Christianam fuisse, licent capere suspicionem, quando apud Steph. *Balazium*, T. I. Concil. in Synodico adversus Tragoediam Irenaei, c. 816. sub Hypatiae nomine, ad Cyrillum, Archiepisc. Alexandr. epistola legitur, cujus summa est, se perfectis Apostolorum scripcis, solutisque Gentilium quaestionibus, intra femetipsam agitare, quod bonum sibi sit, fieri Christianam, sperantes, dignam effici domalici generatione baptismatis. Interim, cum in ea mentionem faciat exilii Nestorii, quod anno demum 436. illi contigit, ipsa vero, anno quarto episcopatus Cyrilli mortua sit, res omnis in vanum abit, judicante ita Steph. Baluzio: cui, cum e temporum rationibus recte subductis, opponi nihil queat, pro spuria & suppositicia, haec utique epistola erit habenda. Plura qui de Hypatie, illustri Philosopha scire cupit, habebit in Aeg. *Menagii* Hist. Muller. Philosoph. Segm. 46. seq.

(†) De Cyrilli flagitiis conquestur auctor Cautelarum, circa Stud. Hist. Eccles. Sec. V. §. 14. dicitque, eum, qui summam vitae Cyrilli Alexandrini, *ab Arnoldo fidelitter descriptam*, diligenter examinoeverit, mirari satis non posse, hominem, tot sceleribus incjytum, Chrysostomi adversarium, & praeterea exigui judicii virum, inter sanctos Ecclesiae Patres esse numeratum, illidemque a oostratibus accenseri. Nos eam litem, hoc loco nostram non facimus, quae amplius scilicet differendi spatium postularet: interim, quantum ad hoc factum attinet, causae Cyrilli non adeo difficilimus; quin ab eo eum posse excusari, eredamus, quandoquidem *Petrus*, Lector, perversi, & intempestivo fervore id susceperit, cujus invidia, in praesulem ejus tum demum redundarit. Hinc O. J. Vossius, de Scient. Mathemat. cap. 16. fatetur: se non trasci B. Cyrillo, quem eb eo facinore plane immunem fuisse constat, sed *Theodoro* (alii Petrum appellant) lectori ejus, ac concretae ab illo plebi Alexandrinae. *Damascius* etiam in vita Isidori philosophi, neque Cyrillo plane id adscribere audet, sed οἱ τὰ ὑμέτερα ἢ Ἀλεξανδρέων θεῖα, καὶ τὰ ἀνάγκης, quo episcopos etiam suos eadem ratione tractarint, transfert.

Judaei profeciſſe. *errore*, ne venia quidem digno. Poſterius autem membrum, ex nimio Platonicorum, ex Academia ad Chriſtianos tranſeuntium, erga magiſtrum amore, conſervato per longum tempus, eſt derivandum, quos *Hieronymi* etiam calculus juvat, in epiſtola ad Magnum, dicentis: *Quid loquar de Philone, quem vel alterum, vel ſecundum Platonem, Critici pronunciant.* Cur vero Heſychius, quod παρ' Ἕλλησι, in proverbium hoc ceſſerit, teſtatur? ipſe enim Graecus erat, Graecoque idiomate ſcribebat, cur ad Graecos ut provocet, opus habet? quia ſcilicet Chriſtianus eſt, conſuetamque & iis de Philone opinionem, ex Gentilium etiam proverbio, vult confirmatam. (*)

§. XI. Poſtquam ea, quae ex Libello de Claris Viris, in noſtram ſententiam proferri poterant, vidimus, inoffenſo pede ad libellum, quo *res patriae CSpoleos* enarrat, tranſimus, qui quidem, cum maximae auctoritatis ſit apud Dufreſnium, notis in Jo. *Cinnami* Hiſtoriam, *Annaeque Comnenae* Alexiadem, non minori a nobis cura, ac prior ille, erit perluſtrandus. Videntur autem ea, quae in illo exponit libello, eſſe delibata, ex ejus L. V. & VI. Hiſtor. Romanae, & omnigenae, Jo. *Meurſio*, not. ad eum, adjectis ad finem Tom. I. Corporis Hiſt. Byzant. Meminit in eo aedis ſacrae, Martyris, *Menae*, quae quidem primo Neptuni (auctor Chronici CSpolitani vult Jovis templum) extructum a Byzante fuerat templum, a Conſtantino autem M. contento ab idolis illud purgaſſe, ulterius aedificandum Pulcheriae, & Marciano ac dedicandum relictum. Accidit, ut, cum Heſychii noſtri tempore, imperante Anaſtaſio, templum *S. Menae* repurgaretur, magna foſſa reperiretur, inque ea magna oſſium Gigantum copia, quibus viſis obſtupefactus Anaſtaſius, miraculi inſtar in Palatio reponi ea juſſit: ex Suida. Nota hinc, quae ad S. Martyrem pertinerent, noſtro erant omnia, cui niſi addictus fuiſſet ipſe, neque Martyris elogium addidiſſet, quod equidem, quo majori fervore, & ambitione non raro, a Chriſtianis appetebatur, a Gentili, ſine luſu ut dimitteretur, non facile poterat expectari, vel tale ſaltem erat, quod Lucianus quidam, in ridendi argumentum facile traxiſſet. Noſter autem nihil tale committit, ſed reverentiam, ſancto viro exhibendam, corde quaſi premit, & non niſi verbis, e foro eccleſiaſtico petitis (τοῦ μάρτυρος, οἶκον) utendo, indicium animi, a Chriſtiana ſimplicitate non alieni, expromit. (†)

§. XII. Divinos Imperatores agnoſcit noſter, Conſtantinum, & poſteros, aque Gentilibus eos diſtinguit, eum dicit: quouſque *Severus* ſuperſtes fuit, ejuſque filius, *Antoninus*, urbs *Antoninia* appellata fuit, ἐπειδὴ δὲ τοῖς Διοὺς τοῦ βασιλέως ἀπεδόθη, αὐθις τὸ Βυζάντιον ἀνομάζετο. Quamvis autem addat, quod CStino M. imperante, CStinopolis eadem ſit vocata, hancque ſententiam cum priori, per δὲ, *vero*, connectat, illud tamen, quo minus ea ad CStinum quoque extendatur, non impedit, cum illa particula, hoc equidem loco, non adverſandi, ſed connectendi, uberiuſque explicandi, vim habere intelligatur. Quae enim ratio fuiſſet noſtro, poſtquam de Severo, Antoninoque filio, egiſſet, ab iis ad diviniores Imperatores tranſgrediendi, eoſque illis opponendi, cum utique illi, qui Conſtantinum anteceſſerunt, non minus divini extiterint, quam priores iſti, adeoque oppoſitione, in ejuſdem ſuperſtitionis hominibus, non fuerit opus. (§)

§. XIII. Ad ea, quae mox ſequuntur, me converto, quibus Conſtantini M. magnificentiam, in exornanda nova urbe, liberalitatemque ac pietatem, convenienti ratione depraedicat, qua *ſacris* etiam *aedibus*, (ἱεροῖς οἴκοις) eam reddiderit illuſtriorem, ut adeo prioris Byzantii nominis facile, & cum uſura poſſit obliviſci. Neque etiam, dum reliquum urbis ſplendorem refert, indigne fert, a Conſtantio Imperatore, inſignem illi purpuream columnam erectam, quam potius admiratur, ipſumque Imperatorem, ſuper ea

(*) Circa hunc Philonem varia ſolent diſputari. de ejus Platoniſmo, apud *Fontium*, L. III. c. 4. Script. Hiſt. Philoſoph. quem multis ille argumentis negat. de ejus imperitia Hebraiſmi & Syriaſmi, apud *Scalig.* Elench. Trihaeref. c. XVIII. *Cavenm*, P. II. Hiſt. Liter. p. 8. de mixtura placitorum Platonis cum Moſaicis, quodque primus fecerit, qui Allegoricam interpretandi rationem in Eccleſiam invexerit. Utrum Chriſto nomen dederit, & deinde taedio ac indigna ione commotus, ad ſuos redierit, ex *Photii* Codic. CV. aliaque, quae hic excutere inſtituti non permittunt rationes.

(†) Non incelebre apud Scriptores Eccleſiaſticos, Menae, vel Menuse, eſt nomen. Hinc habemus, *Mennam*, Martyrem Scytham, ſub Diocletiano & Maximiano Herculio. *Menas*, Athenienſis, fortis martyr, ſub eodem. *Menas*, Aegyptius miles, ſub Pyrrho Praeſide, iiſdem Imperantibus in Cotyenſium urbe paſſus, teſte Sim. *Metaphraſte*, T. V. ubi & de *Menae* Martyris miraculis, *Timothei Alexandrini* longa narratio reperitur. *Menas*, Diaconus Arianus Symbolo Arii ad Alexandrum Archiepiſcopum ſubſcribens, ideoque ab Alexandro, in epiſtola ad vicinas Eccleſias, apoſtata cum aliis appellatus, moxque abdicandus, cum presbyteris, aliiſque. Socrat. L. I. c. 6. *Menas*, Presbyter Alexandrinus, furoris Dioſcori Epiſcopi, contra Athanaſium, adminiſter, quo cum aliis eſt uſus ille, ad perſequendos, affligendoſque pios miniſtros, qui Synodo Chalcedonenſi accuſationes ſuas obtulerant. *Menas*, Monachus ſolitarius, in Samnii provincia, quem Oregorius miraculis floruiſſe ſcribit, tempore Juſtini jun. *Menas*, epiſcopus CSpolitanus, Anthymo ejecto ſuccedens, vera pietate, doctrinaque praeditus, de quo apud *Evagr.* L. IV. c. 36. plura eademque praeclara, leguntur. *Menas*, epiſcopus Galliae, Oregorii Turonenſi memoratus. Venetiis *Mennae* & Geminiano aedes, a Narſete Patricio, *Bergomas*, Supplem. Chronic. L. IX. *Menas*, Carbacta. Juſtiniani Cubiculario, ex manubiis Oothorum eſt extructa. Pamphylia, ſubſcripſit Synodo VI. CSpolit. contra *Macarium* monothelitam, actione XVII. cujus haereſeos ſummam, Hiſtoriamque inter recentiores eſt executus, *Jo. Bapt. Tamagninus*, libro Pariſ. 1678. edito. ſolidiſſime autem, argumentis ex Theologia depromtis, expedivit, Magnif. *D. Chlodenius*, Theolog. Vitemberg. celeberr. in Differt. de Honorio Papa Monothelita.

(§) Quae de Principum divinitate, illaque Conſtantini M. in obſervationibus, §. VIII. ſubjectis, monuimus, ad hunc locum illuſtrandum, utique facere videntur.

ea collocatum, *ſolis inſtar radios civibus ſpargentem*, pio, devotoque cultu ſuſpicit. ſub fin. libelli, de Rebus patriae CStinopol. Conſentit cum hac ejus narratione *Cedrenus*, quando refert, in Strategio, Regione urbis V. ſtatuam equeſtrem Conſtantini M. cum cruce, vel ipſum, crucem ferentem, publico loco dari conſpiciendum. Ut adeo in his omnibus, partibus ſuis probe defunctus *Heſychius Mileſius*, Chriſtiani nomen jure quodam ſuo ſibi vindicare, illudque meritis ſuis, per integram tractationem noſtram conſpicuis, tueri, animadvertatur.

§. XIV. Patet nunc, ex his omnibus, longa ſerie adductis, quantum *Suidas* in eo commiſerit levitatis, quo, non inſpecto toto libro, jejune ſatis judicavit, ex ſola, Eccleſiaſticorum Scriptorum non facta mentione, ejus quoque inter Chriſtianos, rationem haberi nullam oportere. Habeant alii, quod in eo carpant, ego imbecillitatem judicii non levem hic deprehendi, non ſuperfunctorie hactenus demonſtravi. Ita vero accidere ſolet illis, qui variae eruditionis compilatores agunt, ut omnium rerum ſcientiam venditantes, parum ſciant, ingenioque nimis fidentes, judicii jacturam faciant, ejuſque infirmitatem publice commonſtrent. Laudo hominis, in colligendo hoc Theſauro induſtriam, commendoque, qua ex *Eudemo* Rhetore, *Helladio*, *Eugenio* Auguſtopolita, *Zoſimo Gazaeo*, *Caecilio* Sicilienſi, *Longino Caſſio*, *Luperco* Berytio, *Juſtino Julio Sophiſta*, *Pacato*, *Pamphilo*, *Polioneque* Alexandrino, has opes collegit, diſpoſuitque: habeo tamen, quod reprehendam inſignem aliquando oſcitantiam, qua e tripode quaſi dicta, arripit, quae reperit omnia, judicio autem ſuo, ſcrutinio item ac meditationi parum fidit, parcitque, adeoque orbi erudito, nullo rerum ſelectu habito, omnia, ſimul ac accepta, non praeguſtata antea, propinat, publiceque exponit. Erat hinc iis, qui emendatiorem eum cupiebant, longa autem expectatione, ſtudio operaque Jo. *Pearſonii*, Th. *Reineſii*, aliorumque, eum integrum perfectumque poſſidendi, eluſis, ſumma ſpes, fore, ut obſtetricante Cl. *Kuſteri* manu, omni ex parte perfectus, abſolutuſque prodiret: Verum ne ſic quidem, editio illa Cantabrig. MDCCV. Tom. II. [III.] edita, omnium deſideria ita explevit, quin *Gronovium* quendam, in Herodoto ſuo, acriorem experiretur cenſorem doctiſſimus Vir, neſcio quibus privatae contentionis ſtimulis agitatum, adeo, ut ſcribere ille non dubitaret: Cantabrigienſes ovem ſuam, *Suidam* ſcilicet, malo & imperito paſtori commiſiſſe. Nos quidem, humanae imperfectionis non immemores, hanc cenſori ſententiam reliquimus; Viri autem modeſtia, qua in hunc Suidae locum commentatus, lectori liberum de eo judicandi arbitrium permittit, in tantum ſumus uſi, in quantum, rite omnibus perpenſis, & nobis in his talibus aliquid licere, ſumus arbitrati.

EX SUIDA.*

Ἡσύχ[ιος] [1], Μιλήσι[ος], υἱὸς Ἡσυχίου διαγέρτου, καὶ Σοφίας [2], γεγονὼς ἐπὶ Ἀναστασίου [3] βασιλέως, ἔγραψεν Ὀνοματολόγιον [4], ἢ Πίνακα [5] τῆς ἐν παιδείᾳ ὀνομαστῶν, ὃ ἐπιτομὴ [6] ἐστι τούτου τοῦ βιβλίου· καὶ χρονικὴν [7] τινα Ἱστορίαν, ἣν διεῖλεν εἰς ἓξ βιβλία [8]· ἔστι δὲ καὶ ἐν ἄλλοις βιβλίοις· ἐν οἷς ἐμφέρεται αἱ κατὰ καιροὺς πράξεις τῆς Ῥωμαίων βασιλείας, καὶ αἱ δυναστεῖαι τῆς κατὰ τὴν Βυζάντιον κρατησάντων τυράννων, καὶ τὰ κατὰ τὸ Βυζάντιον πραχθέντα ἕως τῆς βασιλείας Ἀναστασίου, τοῦ ἐπικληθέντος Δικόρου [9]. Εἰς [10] δὲ τὸν Πίνακα τῆς ἐν παιδείᾳ λαμψάντων, Ἐκκλησιαστικῶν διδασκάλων ἐδείνωσε μνημονεῦσαι· ὡς ἐν τούτῳ ὑποψίαν παρέχειν, μὴ εἶναι αὐτὸν Χριστιανόν [11], ἀλλὰ τῆς Ἑλληνικῆς [12] ματαιοπονίας ἀνάπλεων.

„ *Hesychius, Milesius, filius Hesychii cauſſidici, & Sophiae, qui ſub Anaſtaſio Impe-*
„ *ratore vixit, ſcripſit* Nomenclatorem, *ſive* Indicem *Virorum qui doctrina ce-*
„ *lebres fuerunt, cujus compendium eſt hic liber: item* Hiſtoriam *quamdam* Chronicam,
„ [*ſive* Annales] *quam in ſex* intervalla (*ſic enim ſingulos libros adpellat*) *diſtinxit;*
„ *quibus continentur Imperatorum Romanorum res variis temporibus geſtae; & Dyna-*
„ *ſtiae Tyrannorum* [*ſive* dominationes Principum] *qui ſingulis gentibus imperarunt; i-*
„ *tem quae Byzantii geſta ſunt uſque ad imperium Anaſtaſii, cognomento Dicori. In*
„ Indice *vero eorum qui doctrina claruerunt, Eccleſiaſticorum Doctorum neminis memi-*
„ *nit: ut hinc ſuſpicionem praebeat, non fuiſſe ipſum Chriſtianum, ſed Graecae vani-*
„ *tati* [*i. e.* Gentiliſmo] *prorſus addictum.* „

* Quum ſuperiores *Fabricii* V. C. & *Thorſebmidii* Diſſertationes agant maxime de hoc Suidae loco, quem & ceterae Heſychii Lexicographi Editiones (etſi de Mileſio egit) exhibent; integra Suidae verba coronidis loco hic ſubjicere viſum eſt, cum *Verſione* Latina, & Variorum *Notis*, etiam ineditis, quas Heſychii Codicibus ſuis alleverant Viri Docti, hac occaſione Tecum, Lector, ſimul communicandis.

1. Ἡσύχ[ιος] Μιλήσ[ιος].] Non eſt noſter Heſychius: nam noſter eſt *Alexandrinus*; & praeterea hic non ſit mentio hujus Lexici. SCALIG. Confer mox.

2. Σοφίας] MS. Φιλοσοφίας. IS. VOSS. at ſine dubio vitioſe.

3. Ἐπὶ Ἀναστασίου βασιλ.] Addle, τοῦ Ἰουστινιανοῦ. ſub Juſtiniano enim Imperatore Heſychium noſtrum [Mileſium] vixiſſe etiam & ſcripſiſſe, clare teſtatur Conſtantinus Porphyrog. *Lib.* I. *Them.* II. ut obſervavit Meurſius in *Notis* ad hunc Heſychium, p. 112. KUSTER.

4. Ὀνοματολόγιον] i. e. *Nomenclatorem.* SCALIG.

5. Ἢ Πίνακα τ' &c.] Ille Heſychius Mileſius nihil ad hunc librum: [ſc. Heſychii Alexandrini Lexicon] utpote qui *Onomaſticon* ſcripſerit *virorum in literis illuſtrium*, cujus *Epitomen* fecerit Suidas. IS. VOSS. Hoc opus, vel potius compendium ejus, hodieque exſtat, quod poſt Hadrianum Junium (qui id primus ex Bibliotheca Joann. Sambuci in lucem protraxit) cum eruditis Notis edidit Meurſius Lugduni Batav. 1613. KUST. Perperam *M. Meibomius* pro ἢ legit κρὶ, quaſi diverſi eſſent libri. Puſterius enim prioris eſt declaratio.

6. Οὗ ἐπιτομή &c.] Meurſius in *Notis* ad Heſychium Mileſium p. 110. locum hunc Suidae mutilum eſſe cenſet, eumque ſic ſupplet: Ἔγραψεν &c. ὀνομαστῶν, Διεῖλεν τὴν Λαμίνου μυριοστιχίαν, ἃ ἐπιτομή &c. Tale enim quid deſiderari putat. De hac conjectura viri doctiſſimi liberum judicium lectori relinquo. KUST. Confer hic & in ſeqq. Cl. Fabric. *Bibl. Gr. Vol.* VI. p. 241. & Thorſebmid. *Differt.* quae ſupra exhibentur.

7. Χρονικὴν τινα Ἱστορίαν] Ejus operis epitomen exhibet Photius in *Bibliath. Cod.* LXIX. quem vide. KUST. *Hiſtoriam per Annales* intelligit: ut χρόν[ος] ſaepius pro *anno.* Heſych. Ἔτη. χρόνοι. Conf. eund. v. Γωνὶ, & v. Ἰουβαιῶ[ν], nec non Cl. Hemſterh. ad Ariſtoph. *Plut.* p. 407.

8. Διεῖλεν εἰς ἓξ.] Photius τμήματα vocat. Διαιρέσεις tamen etiam vocantur in *Gloſſis Baſilicorum*, a Car. Labbaeo vulgatis. Caeterum, inter opera Heſychii non meminit Suidas ἢ Πανδέκτην Κανονικῶν τετραδίων; qui liber hodieque exſtat, a Meurſio primum in lucem editus. KUST. Conf. omnino Fabric. *l. d.*

9. Δικόρου.] Vid. Suid. v. Δίκορον. Ita dictus eſt, non quod *geminas oculorum pupillas* haberet, ut lepide ſcripſit Æmil. Portus; ſed quod pupillas habuerit *duplicis coloris*. Æmil. Portus; ſed quod pupillas habuerit *duplicis coloris*. Æmil. Portus; ſed quod pupillas habuerit *duplicis coloris*. quarum dextra *nigrior* erat, laeva magis ad *glaucum* colorem accedebat; ut Jo. Zonaras *Annal.* XIV. 3. p. 53. *Ed. Reg.* praeter Cedrenum, & alios.

10. Εἰς δὲ τὸν Πίνακα.] Pro εἰς τοῦ Πίνακ.

11. Μὴ εἶναι αὐτὸν Χριστιανὸν.] *Dan. Heinſius* ad h. l. in Heſychii Grammatici exemplari adſcripſerat: ὁ δὲ αὐτὸς ὁ Ἡσύχ[ιος] [qui *Lexicon* dedit] Χριστιανός, ὡς δῆλον πᾶσι τοῖς αὐτοῦ Λεξικοῖς συντεχνάζ[ει]. Sed vide *Praefat.* noſtram. Quod autem Bonav. Vulcanius ad Callim. *H. in Jov.* v. 3. hunc Suidae locum excitaſſe, de Heſychio Lexicographo ſcripſit, inde eſt quod Mileſium cum Alexandrino confuderit.

12. Τῆς Ἑλληνικῆς ματαιοπονίας ἀνάπλεων.] In MS. Parif. A. legitur ματαιοπονίᾳ. KUST. Varie reddunt. Portus: *Graecanico laborum vanitate refertum.* Kuſterus: *Graecorum magis & vanis ſtudiis addictum.* Verti poſſet: *Graeca vanitate plenum*; vel, ut dedimus, *Graecae vanitati prorſus addictum.* Vana Gentilium ſtudia intelligit Suidas, ſive religionem & inſtituta Gentilium ſuperſtitioſa: ut ſaepe Ἑλληνες pro *Gentilibus*. Suidas v. Μάντις· . . . . . ἢ παιδεύσεις τὰ Ἑλληνικὰ, &c. & paullo poſt: περὶ ἄλλων τινῶν Ἑλληνικῶν διδόντων. Similiter v. Ἄμμων, ἔσχεν, inquit, Ζῆν Ἑλληνικῶς. „ at in Ægyptiorum proprius erat, templo in deſertis Libyae, „ nuſquam in Graecia celebris. Ἑλληνικὸν igitur h. l. non „ gentis, ſed ſuperſtitionis adpellatio eſt: *Ammon*, nomen „ Dei gentilis. „ Sunt verba Tho. Reinefii *Var. Lect.* L. III. p. 474. non laudati a Kuſtero, qui vel Λιβύων legendum cenſet, vel τὸ Ἑλληνικῶν accipiendum pro ἰδιωτικῶ, i. e. *gentilis.*

JO.

JO. AUG. ERNESTI, A. M.

LITER. HUMANIOR. PROF. ET SCHOL. THOM. RECTOR,

DE

GLOSSARIORUM GRAECORUM

[IN PRIMIS HESYCHII]

VERA INDOLE ET RECTO USU

IN

INTERPRETATIONE.*

* * * *

Non est dubitandum, quin magnam auctoritatem in interpretando *Glossaria* illa vetera debeant habere, quae vel auctores habuerunt eos, quibus ea lingua erat vernacula, aut eos, quibus altera vernacula, altera, quia adhuc viva erat, recte cognita, aut saltem ita usu longo & disciplina perfecta erat, ut vernacula ipsis esse videretur. Itaque videmus eos, qui in locis divinorum humanorumque librorum interpretandis illustrandisve versantur, saepe numero *Hesychii*, saepe *Suidae*, saepe reliquorum *minorum Glossariorum* auctoritate uti. Quae res recte sane atque ordine fieret, si tantum omnes in ea modum quendam & rationem adhiberent, & his interpretandi adjumentis apte scienterque uterentur. Nunc plerique, ex illis inprimis subitaneis Philologis, qui nullius in eo genere idonei magistri disciplina usi, neque justa eruditionis copia, multorum annorum studio collecta, sunt instructi, ita temere, ita alienis locis, Glossariorum auctoritatibus in interpretando utuntur, ut, dum, se aliquid scire in hoc genere, volunt efficere (nescio enim, quomodo multi, qui has literas verbis deprimunt, cum aliquid scribere instituunt, ab iis inprimis ornamenta petunt) nihil se scire ostendant. Neque ea res, aut mira, aut nova, aut nostrae aetati propria, debet videri. Magnam semper, in hoc genere, inscitiam & gravem errorem inter homines reperio esse versatum. Dudum est, cum *Dan. Heinsius*, vir doctissimus, rudes, qui nesciant, quomodo debeant in illo σφυγμῷ, ut vocabat, *Hesychii*, versari, exemplo proposito, erroris vel obiter admonendos duxit. Atque utinam ille praestitisset, quod se facturum promisit, ut, de usu *Glossarii Hesychiani*, accuratius disputaret; esset sine dubio, ut nos hac tota disputatione nostra supersedere possemus. De *Glossario* autem *Latino-Graeco Philoxeni* ita scripsit *Jos. Scaliger*, ut, illud quidem nunquam satis laudari posse, vere profecto, judicaverit, sed idem diligenter monuerit, non esse id, magistellorum manibus terendum, sed tantum a doctioribus nocte dieque versandum (*a*): quod sane nobis licebit ad cetera etiam

* [Praemissi haec a V. Cl. *Disputatiuncula* fuit *Orationi Aditiali*, Lipsiae, A. D. IX. April. A. C. CIↃIↃCCXLII, quam hic (refectis tantum prioribus, ad sollemnem diem compositis) repetere visum est, quod utilia ad Hesychium monita contineat; etsi non omnia quidem (quod & de ceteris aliorum curis dictum esto) nostra factitus. Ad exempla etiam ex Hesychio allata inspiciantur *Notae* nostrae.]

† Ad Silium Ital. I. 119.

(*a*) Ad Festum v. *Avolsum*.

etiam *Heſychii*, *Cyrilli aliorumque Gloſſaria* transferre. Eſt nimirum omnium Gloſſariorum, ut nihil de corruptione, ab indoctis orta, dicam, tanta ſaepe obſcuritas, ut, niſi ea magnae eruditionis Graecae lumine diſpellatur, neque intelligi Gloſſae ſatis, neque ad ſcriptores Graecos explicandos recte adhiberi poſſint. Sed capitalis error intercedit hic, quod vulgo putant, illa Gloſſaria & Lexica Graeca non diſcrepare ab his Lexicis, quae in omnibus linguis, recentiorum ſcriptorum ſtudio & labore congeſta, habemus. Hinc enim fit, ut, qui in aliquo loco, ſive divinorum, ſive humanorum librorum, haerent, aut ſuam qualemcunque interpretationem aliqua ratione confirmare cupiunt, ad haec Gloſſaria confugiant; in quorum aliquo, ſi quid forte invenerunt, quod accedere ad ſuam ſententiam videatur, nihil jam deeſſe interpretationis ſuae veritati putant. Ex quo tam abſurdae ſaepe numero ineptaeque explicationes exiſtunt, ut, vel Heracliteae ſeveritatis homini, riſum commoveant. Ceterum, ut hoc clarius appareat hujus generis hominibus, & iis, qui his libris recte, & in tempore, uti cupiunt, ab ejusmodi ineptiis caveatur; age, rem omnem paullo altius repetamus, & diſputationem noſtram ita inſtituamus, ut *primo*, de *origine* Gloſſariorum, *deinde* vero, de eorum *indole* & ratione, & hac conſtituta, de recto eorum *uſu* diſputemus: hae tamen lege atque conditione, ut primam partem, quae nobis eſt cum *Mauſſaco* (*b*) & *Cangio* (*c*) communis, attingamus tantum; quas illi viri, aut praetermiſerunt, aut leviſſime attigere, & quae inprimis ad hoc noſtrum conſilium faciunt, in iis ſimus diligentiores.

Jam primum ſatis conſtat, fuiſſe hoc in more poſitum, inſtitutiſque antiquiſſimorum Graecorum, ut puerilis aetas legendis optimorum poetarum, hiſtoricorum, oratorumque libris contineretur, eamque conſuetudinem, & a ratione profectam, & utilitate probatam, ab iis, ad Romanos primo, deinde, ab his, ad alios populos fluxiſſe. Sed cum in iis multa vocabula occurrerent, quae aut peregrina eſſent, aut ab uſu, vel ejus, quo legebantur, aetatis, vel vulgi ſaltem, remota; magiſtri alicujus & interpretis auxilio magnopere, non pueri modo, ſed, quicunque eos cuperent cognoſcere, indigebant. Neque enim eum, qui nunc tenet, morem ſemper fuiſſe ſcimus, ut ii ſcriptores, Criticorum commentariis illuſtrati, ederentur, quibus adjuti lectores, eos intelligere poſſent ipſi. Itaque ii, qui eorum librorum interpretandorum negotium ſibi ſumſerant, quos Grammaticos vocabant, non pueris ſolum, inter legendum, ſolebant eorum verborum ſenſum breviſſime, uno fere verbo, ſervato etiam plerumque verbi obſcuri caſu, numero, perſona, tempore & modo, aperire; qualia propemodum eſſe videmus veterum Graecorum Latinorumque ſcholia, & doctorum hominum interpretationes, qui, ſub literarum inſtauratarum, ante haec tria ſecula, initiis Latinos ſcriptores illuſtrarunt, ſed hujuſmodi etiam interpretationes Grammatici peculiaribus libris congeſtas edebant. Qui homines, ſi jam in vitam redirent, & viderent, quod ipſi uno ſaepe aut tribus verbis explicare potuerint, in eo noſtrae aetatis ambitionem ita longas diſputationes explicare, ut unum verbum fiat liber, valde nos otio abundare crederent. Ex eo genere ſunt illa veterum λέξεις & γλῶσσαι *Homeri*, *Heſiodi*, *Platonis*, *Hippocratis*, *Oratorum Atticorum*, aliorumque ſcriptorum, quarum pleraeque intereiderunt, quaedam adhuc cum editae extant, tum ineditae in bibliothecis latent, ſaepe illae, cum ab antiquis, tum recentioribus ſcriptoribus, commemoratae. Quidam etiam fuere, qui proprias alicujus diſciplinae voces colligerent: unde *Gloſſas theologicas*, *juridicas*, *medicas*, *philoſophicas*, *chemicas*, *rhetoricas*, *grammaticas* commemorari videmus. Alii porro certi generis ſcriptorum ſingularia verba illuſtranda ſumſere: ex quo genere ſunt *Gloſſae Tragicae*, *Comicae*, *Lyricae*, *Hiſtoricae*. Alii denique barbaricas & peregrinas voces expoſuere: unde *Scythicae*, *Perſicae*, *Punicae Gloſſae* & ἰδιωτικὰ ὀνόματα memorantur. Has omnes autem ſeparatim antea editas, poſt *Diogeniani*, (*d*) *Zopyrionis* & *Pamphili* (*e*) opera, tempore, incertum eſt, quo, in unum corpus digeſſit, & multis, ex omni librorum genere, etiam e ſacris utriuſque foederis, & e Theologorum veterum libris, repetitis auxit *Heſychius*, Alexandrinus Grammaticus, nobiſque effecit illud Gloſſarium, quod omnis eruditionis Graecae locupletiſſimum theſaurum vere omnes, qui in hoc genere aliquid poſſunt, una & conſentiente voce, praedicare ſolent. Ei ſimile, ſed, ut in Graeca lingua minus late patens, ita ad hiſtoriam copioſius *Suidae* Lexicon reperitur. Sed inclinatae ad barbariem, cum Graecae, tum Latinae linguae, temporibus, cum, propter Imperii utriuſque conjunctionem Latini Graecam linguam diſcere cuperent, & Graeci, ſub Imperatoribus Byzantinis, linguae Latinae operam darent, tum, ut Latinos libros in univerſum, tum, ut leges veteres & Conſtitutiones Imperatorum, quae Juſtiniani adhuc aetate Latine plerumque loquebantur, & totum jus Latinum perdiſcere poſſent; exorti ſunt quidam docti homines, qui Gloſſaria, illorum cauſa, Graeco Latina, horum commodis, Latino Graeca conficerent, in quae illi, non difficilia modo & ob-

(*b*) *Diſſ. crit.* ad Harpocr. in Παρρησία. (*c*) *Praef.* ad *Gloſſ. Latin.* §. 38. ff. (*d*) v. Heſych. *Ep. ad Euleg.* (*e*) Suid.

obſcura, aut certis temporibus propria, ſed etiam vulgaria retulerunt; ex quo genere etiam *Heſychius* & *Suidas* quaedam habent: ſive jam tum ea explicare neceſſe erat, ſive ea ipſis poſterioris temporis inſcitia adjicere ſuaſit. Hujus formae ſunt illa *Gloſſaria*, *Graecolatinum Cyrilli*, & *Latino Graecum Philoxeni*, *Onomaſticum*, *Excerpta Stephani*, & praeter haec, multa nondum, ut diximus, in lucem prolata. Hoc fuit tempus illud, quo *Gloſſarum* nomen, non jam amplius ad illa tria tantum genera, quae a *Mauſſaco* conſtituta ſunt, pertinebat, ſed ad univerſam linguam Graecam apud Latinos, & univerſam Latinam apud Graecos, quoniam altera alteris erat peregrina, & quoniam tum, ut recte demonſtrat *Cangius*, omne verbum, quod explicabatur, *Gloſſa* dicebatur.

Ceterum ex his, quae de *origine* Gloſſariorum dicta ſunt, facile arbitror demonſtrari poſſe, quid ſit de eorum *indole & ratione* ſtatuendum: qua cognita, eo facilius poterit, qui ſit eorum verus *uſus*, judicari. Ac primum hoc in univerſum teneamus, his Gloſſariis etſi quaedam cum noſtris Lexicis ſimilitudo intercedat; tamen in ea parte, a qua maximus proficiſcitur in interpretando uſus, ab his magna diſſimilitudine ſejungi. Id quale ſit, quoniam in eo ſumma res eſt, operae pretium videtur, paullo curatius explicare. Dixi, totum hoc Gloſſarum genus in tres partes eſſe a *Mauſſaco* deſcriptum: quarum prima ſubjectas habeat has, quae ſunt *barbarorum verborum interpretationes*: altera eas, quae *peregrina* verba explicant: tertia denique *rariorum & non ſatis uſitatorum vocabulorum* obſcuritati occurrit. His quartam addidit *Cangius*, cui *omnia* quamvis *vulgaria* & nihil obſcuritatis habentia verba ſubſunt. Jam etſi concedam lubens, omnes, quae uſquam ſint, Gloſſas poſſe ad unam harum partium, tanquam ad caput ſuum, revocari; ſi modo illud tertium *Mauſſaci* genus, quam late patet, ſatis demonſtretur: tamen mihi videtur fore, & ad perſpicuitatem clarius, & ad hujus diſputationis noſtrae uſum aptius, ſi Gloſſas quinquepartito diſtribuamus. Sit ergo *primum* genus illud *Cangianum*, quod vocabulorum vulgarium vulgares ſignificationes aperit: *alterum*, quod verborum barbarorum vim declarat: *tertium*, quod peregrina domeſticis & vernaculis interpretatur: in quo haec cautio eſt, ne peregrina eadem cum barbaris putemus, cum omnia quidem barbara, eadem peregrina ſint, non autem contra, omnia peregrina, eadem barbara; ſed peregrina dici teneamus ea, quae etſi Graeca, tamen aut tota, aut forma ſaltem ſua, aut ſenſu, certis tantum civitatibus, Athenienſibus, Lacedaemoniis, Thebanis aliiſve, propria fuerint, & ceteris adeo peregrina; quorum magna in Heſychiano gloſſario copia reperitur. Graecum fuit Ἀνὴρ, ſed Macedonibus proprium, Ἄαχμα, ſed Doribus, ἱρὸς, ἀάδε, ſed Lacedaemoniis: Ἀνάθημα porro, Graecum eſt, ſed, forma hac, proprium Siculis: πλοκος denique per ſe Graecum eſt, ſed, cum de pondere decem minarum dicitur, Paphiis proprium, ceteris peregrinum. *Quarto* generi attribuemus verba rariora, & per ſe obſcuriora, quia ſunt a vulgi conſuetudine remotiora. In eo numero ponuntur verba antiqua & paullatim e familiaritate populi abducta, vocabula artium & diſciplinarum, opificiorum, & omnium earum rerum, quarum nomina, quia in ſermonibus quotidianis non frequentantur, apud pleroſque nunc minorem peregrinis obſcuritatem trahunt; cujus generis infinita prope ſunt apud Pollucem. *Quintum* genus conſtituemus hoc, quod vocabulis continetur, vulgaribus illis quidem, ſed peculiari aliqua & minus uſitata poteſtate. Haec duo poſtrema genera ſunt earum gloſſarum, quas *Quintilianus* (*f*) *linguae ſecretioris interpretationes* vocat. Sed quintum hoc genus omnium latiſſime patet: hoc in gloſſariis *Heſychii*, *Suidae*, *Cyrilli*, *Philoxeni* regnat: hoc in interpretando denique maxime omnium prodeſt. Ejus autem generis multae ſunt formae, quarum quas nos quidem, veteres Gloſſas excutiendo, obſervavimus, age commemoremus.

In hoc igitur genere ponuntur *primo* illa vocabula, *quae* praeter vulgarem *habent aliquam*, *non verſantem in uſu vulgi ſignificationem*, ſed *uni alicui ſcriptori propriam*. Ejus rei multae ſunt, variae & interdum perdifficiles ad inveſtigandum cauſae. Magna eſt ingeniorum humanorum animorumque varietas, & alius aliter rebus afficitur atque movetur. Vis deinde illa mentis humanae, quae in imaginibus rerum ſenſus pulſantium concipiendis verſatur, naturis hominum, conſuetudine, moribus, temporibus denique variatur ipſis. Tanta, porro, varietas eſt, in conjungendis comparandiſque & imaginibus & notionibus rerum, quanta eſt hominum ipſorum. Tum, quemadmodum res adſpectabiles, a pluribus, ſimul illae quidem cernuntur, ſed quia & ipſae diſſimilia habent latera, & ſpectatores, cum diverſi, tum alii aliis propriores remotioreſque, conſtitere, diverſas ſui ſpecies excitant; ita ceterae quoque res, neque ab iiſdem partibus, neque eodem innoteſcunt modo, neque eandem in animis claritatem & perſpicuitatem habent. Atque haec tanta diverſitas facit, ut alius aliter eas res dicendo ſcribendoque exprimat. Itaque fieri non poteſt, quin ſcriptores ingenioſi, inprimis nra-

(*f*) *Inſt. Or.* l. 1.

oratores & poetae, verbis quibusdam poteſtatem ſubjiciant ſingularem aliquam & ſibi propriam. Unde oritur obſcuritas & difficultas in intelligendo, quam Grammatici Veteres gloſſis ſcribendis tollere ſtuduerunt. Summo ingenio fuit ſummaque eloquentia *Plato*. Itaque ille varius fuit in ſcribendo, multaque habet minus communia. Ὀνόματος κάλλει πικίλος, πρὸς τὸ μὴ εὐσύνοπτον εἶναι τοῖς ἀμαθέσι ἢ ἀραξμαπίαν. (*g*) Hinc olim *Timaeus* aliique *de Verbis Platonicis*, libros ſcripſere (*h*) quibus minus peritos lectores juvarent. Similiter in aliis poetis, oratoribus, hiſtoricis & philoſophis, etiam in libris ſacris, verba occurrunt propria quadam cuique ſignificatione; quibus interpretandis operam dedere, qui *Verba Homeri* aliorumque illuſtrarunt, ex quorum libris illa deinde in Gloſſaria ſunt derivata. Sed quamquam hoc licebat facere, ut nova verbis vis tribueretur, inprimis apud Graecos, qui nunquam ſibi hanc ſervitutem imponi paſſi ſunt, quam noſtri Germani, & ceteri, qui propiores boreae frigoribus ſunt, populi, tantopere amplexantur, ut nullam verbis vim tribuere liceat, quam non perpetua quaedam conſuetudo probarit; quamquam igitur haec libertas concedebatur, ſi modo ratione quadam naturaque rerum regeretur: tamen, ut fit, interdum ſcriptores, ſive inſcitia aliqua, ſive negligentia, quae ſummis interdum hominibus in ſcribendo obrepit, minus dextre in ea re ſunt verſati: quemadmodum in univerſum hoc accidit nonnullis, ut verbis iis, quae habent certam ſignificationem, a qua recedi non poteſt, plane alienam vim tribuerent. Utriuſque generis exempla in antiquis ſcriptoribus & in Gloſſariis habemus. *Heſychius*, ut hoc utar, verbum ὀλόχυτος interpretatur ἐξύχυτος. Ea interpretatio plane abhorret a vera τοῦ ὀλοχύτου ſignificatione. Nam ὀλόχυτος de *junco molli* dicitur, ἐξύχυτος autem de *junco acuto*. Eo nomine, cum reprehendendus *Heſychius* videri poſſit, *Caſaubonus* (*i*) vir ſummus recte monet, non tam *Heſychium*, quam eos ſcriptores reprehendi oportere, qui id verbum tam alieno ſenſu adhibuere. Nam ita *Ariſtippus*, auctore *Diogene*, (*k*) uſus erat. Sic ἀνάπυστα, quod eſt *notum*, *pervulgatum*, *Herodorus* dixerat contrario ſenſu. Itaque *Heſychius* & *Suidas* etiam interpretantur ἀνήκοον, ἄῤῥητον. (*l*) Μανθάνω eſt *diſcere*, ſed quidam adhibuerunt pro δδάσκω. (*m*) Quo loco tamen non eſt illud, neque inficiandum, neque praetermittendum, Gloſſarum ſcriptores nonnunquam & ſua, & eorum, e quibus interpretationes gloſſarum petierunt, culpa, a vero verborum ſenſu aberraſſe. Nam cum hodie ſummis hoc hominibus accidat, ut in interpretandis verbis a mente ſcriptorum aberrent; cur negabimus idem antiquis interdum accidiſſe? etſi facile concedamus, id iis, florentis adhuc Graecae linguae temporibus, & in lingua ipſis vernacula, non tam facile accidere potuiſſe. Multae ſunt, ut hoc utar, in *Heſychio* & *Suida* interpretationes verborum, quae in ſacris utriuſque foederis libris occurrunt. Eas ipſi, ut infra dicemus, e gloſſis, quas interlineares vocamus, e Commentariis ſcriptiſque Theologorum, interdum etiam minus recte ſentientium, repetierunt. Jam ſatis conſtat, hos ſcriptores interdum a vero ſcriptorum divinorum ſenſu aberraſſe. Itaque etjam hi Gloſſarum Collectores aberrarunt. (*n*) In qua re tamen haec cautio eſt, ne corruptelas librariorum, aut inepta imperitorum hominum additamenta, ipſis his Grammaticis tribuamus, aut, in facilibus argutando, iis errores affingamus, & deinde, dum iis conſulere cupimus, eos fruſtra corrigere conemur. Hujus generis illud eſt, quod Vir Doctus hanc *Heſychii* Gloſſam: Ἄγεια θεοί, οἱ Τιτᾶνες tentat. (*o*) Credo, Titanes non eſſe eos, qui proprie ἄγειοι θεοὶ dicuntur. Sed quis neget, Titanes, *deos feros*, ἀγείους, ἀημέρους fuiſſe? De *Suida* quidem, recte *Kuſterus* V. C. monuit, indoctos homines ad marginem Suidae adſcripſiſſe loca, aliena a ſignificatione propoſita, & a mente *Suidae*, injuriamque adeo *Suidae* facere, qui eum male interpretatum eſſe ea loca credant. *Heſychium* autem valde corruptum eſſe, qui eum paullo diligentius tractare voluerit, facile animadvertet: eaque res vehementer doctos homines interdum decepit. *H. Stephanus* quidem, ut recte monuit *Pearſonius* (*p*) ita ſibi his corruptelis aliquoties imponi paſſus eſt, ut ex iis nova verba finxerit, & Theſauro Graecae linguae inſeruerit. Sed eadem fraude poſſunt homines ad fingendas novas verborum ſignificationes induci. *Heſychius* Ἐξάδη interpretatur ἐσκληκώθη (ἐσκληκώθη.) Ergo πρᾶσσω ſignificat *obduro*? Nullo modo. Nam ἐξάδη corruptum eſt, pro ἐτυφώθη, quod a LXX. Interpretibus in *Davide* (*q*) pro ἐσκληκώθη poſitum eſſe, etiam *Suidae* obſervatum eſt. Quid dicam de gloſſis minoribus, in quibus innumerabiles adhuc corruptelae reſtant, facili interdum mediocriter docto medela, interdum difficili. Ἀποπλακὼς vertit Onomaſticum *tabidus*. Sed Graeca vox eſt corrupta. Legendum ἀποκλακὼς, quod hanc vim habet, v. c. apud *Zoſim.* V. 4.

Sed redeamus eo, unde digreſſi ſumus. Agebatur autem hoc, ut oſtenderemus, quibus de cauſis quidam ſcriptores verbis interdum aliquam peculiarem vim tribuerint.

Hic

(*g*) Laërtius III. 63. (*b*) Vid. Menag. ad Laërt. l. c. (*i*) Ad Laërt. II. 81. (*k*) l. c. (*l*) Alberti V. C. *Pericul. Crit.* p. 61. (*m*) v. *Obſ. Miſc.* Vol. IX p. 433. (*n*) v. Heinſ. l. c. p. 89. p. 201. (*o*) *Obſ. Miſc.* Vol. X. p. 60. (*p*) *Praef.* ad LXX. 6. a. (*q*) Pſ. 119. 70. v. Schol. ad h. l.

Hic noo praetermittendum eſt hoc, quod quibuſdam ſcriptoribus ſunt quaedam, propriae ipſis, ſeotentiae, aut nondum ea, qua utuntur lingua, explicatae. Hic, dum nova cudere vocabula nolunt, vulgatis utuntur, ſed nova poteſtate. Hujus generis vocabula eſſe in libris ſacris, a *Gatakero*, *Vorſtio* aliiſque eſt demonſtratum. Id fit etiam tum, cum peregrinae linguae ſcriptores in vernaculam convertuntur, & verba occurrunt ejuſmodi, quibus nullum, in vernacula lingua, ex uſu loquendi, ſatis reſpondet. Habet enim omnis lingua, quaedam verba, quibus nullum in alia lingua plane reſpondet. Itaque multa ſunt in LXXvirali Interpretatione, & hinc in libros N. T. derivata vocabula, quae habent apud eos ſcriptores peculiarem aliquam vim, aut ex Ebraico ſermone explicandam, aut ex ipſius doctrinae caeleſtis ratione, ut ἀγαπᾶν &c. Itaque etiam *Cicero* quaedam in libris philoſophicis habet, vulgaria illa quidem, ſed antea non uſitata, & ipſi propria poteſtate; quale eſt, *inſcientia*, de opinione, & alia. Hujuſmodi ergo gloſſas cum multas habeant Gloſſaria, tamen raro ita de ea re lectores monuerunt, ut in verbo Εὐλογῶ *Heſychius* fecit: Εὐλογῶ, ὕμνουν. εἴρηται δὲ ἀφ' ἡδονῆς τῆ χαρᾷ ἢ καθ' ἁπτόμενον, ἀντὶ τοῦ ἐβλασφήμουν. & in quibuſdam aliis, ut in Διαπίνω, ἀσχήμων, ἀδελφός. Verum ſatis multa, & fortaſſe nimis multa, de primo genere vocabulorum diximus, quae ad quintam illam claſſem referuntur. Ad *alterum* veniamus.

In eo autem ponimus ea verba, quorum fuit, alio tempore, alia ſignificatio. Nam uti mores, numorumque pretium, ita etiam verborum vim tempus mutat. Itaque, niſi haec vocabulorum tempora poſſis diſtinguere, multum in ſcriptoribus interpretandis ab eorum mente aberres. Ea res fecit, ut dudum monuerit Lexicorum ſcriptores *Scioppius*, ut haec vocabulorum tempora indicarent, imperitiſque ea re ab errore caverent. Et recentiorum quidem Lexicorum auctores, etſi hoc Scioppianum praeceptum non ſatis ſecuti ſunt, tamen ea ratione quodammodo lectoribus in ea re conſuluerunt, quod cujuſque ſignificationis auctores idoneos laudarunt, ex quorum aetate de ea re judicare licet. Veteres autem Gloſſariorum ſcriptores, aut nunquam auctores ſuos laudaot, ut in *Gloſſis minoribus* videmus, aut raro, ut *Heſychius* fecit, aut ſaltem oon ſemper, ut *Suidas*, ſed varias variorum temporum ſignificationes nude proponunt. Quod ſi verum eſt, quod *Scaliger* exiſtimabat, *Heſychium* in omnibus laudaſſe auctores, e quibus, aut Grammatici & Gloſſatores ſuperiores, aut ipſe unumquodque verbum petiiſſet, ſed eas auctoritates poſtea ex ejus Gloſſario ſublatas eſſe; ſane male ii, qui hoc facinus in *Heſychium* admiſerunt, literis Graecis conſuluere. Age vero, exemplis quibuſdam id, quod poſuimus, confirmemus. Incipiamus a *Gloſſis minoribus*. Eae plenae ſunt ejuſmodi verborum interpretationibus, quae ad certam tantum aetatem *pertinent*. Nos exempla, quae primum occurrent, huc ponemus. Αἴρειν etiam dici de *conditione* Gloſſae tradunt. Hoc non tulit omnium temporum conſuetudo, ſed ſeculi, opinor, Theodoſiani. Itaque *Montefalconius* hanc ſignificationem retulit inter eas, quae fere eſſent *Chryſoſtomo* propriae. (*r*) Ex eodem *Montefalconiano Onomaſtico* ad *Chryſoſtomum* colligas, quod Gloſſae ἀπιθὴς reddunt *diſſidens*, id eſſe eidem aetati proprium. Ἀναγωγὴ *contemplationem* recte interpretantur, ſed ejus aevi haec eſt ſignificatio, quo myſtica Theologia invaluit. *Baro* eſt & βάκαλος *fatuus*, & ἀνήρ. Sed quis non videt, diverſarum aetatum has ſignificationes eſſe? Nam illa eſt antiquiſſima, haec recentior. *Heſychius* θαμὰ exponit ἐκπαλάι. Sed ex *Euſtathio* (*s*) apparet, illud verbum activo ſenſu a recentioribus non adhiberi. Unde recte *F. Strunzius* Vir doct. judicabat, *Heſychium* reſpexiſſe ad auctorem aliquem antiquiorem ipſo adeo Homero, aut legendum eſſe ἐκπαλάι?): (*t*) quorum illud tamen mihi verſimilius videtur, cum, olim ὀπιπαλαὶς poſitum interdum fuiſſe, ex Euſtathio appareat. Ceterum ex his, quae de duobus illis vocabulorum generibus diximus, intelligitur, multa eſſe in Gloſſariis, quae aut ad *certam* tantum *aetatem*, aut ad *certum* aliquem *ſcriptorem* pertineant. Sed hujus poſterioris generis magna eſt varietas, multiplexque ratio, de qua nunc dicemus ita, ut *canones* quoſdam conſtituamus, ex quibus Gloſſariorum, in eo genere, ratio melius intelligatur.

I. *Primus* hic ſit: *Multae ſunt in Gloſſariis interpretationes, quibus Gloſſatores ad certum aliquem certi ſcriptoris locum reſpexerunt, aut ad certam aliquam dicendi formam, quae vocabulis per ſe non conveniunt.* Haec lex dominatur in Gloſſariis: in hac prope ſunt tota: haec lucem eis affert: hujus ope innumera loca ſanata ſunt & ſanari poſſunt. Id intelligi poteſt, partim ex iis, quae de origine Gloſſariorum diximus, partim ex eo, quod, primo, in primis apud *Heſychium* & *Suidam*, verba, non, ut in noſtris Lexicis ſit, in caſu nominativo, aut praeſente infinitove ponuntur, ſed ſaepe, non modo aliis caſibus & modis, ſed etiam eadem diverſis: deinde, quod ſaepe manifeſtum eſt, interpretationes a verbis illis in ſe ſpectatis plane abhorrere, neque ullo

(*r*) v. T. IV. p. 480. c. & T. ult. in Onomaſt. p. 43. [conf. *Miſc. Obſerv.* Vol. IX. 1. p. 129.] (*s*) Ad Iliad. α'. p. 82. ed. Rom. (*t*) Ad Rutgerſ. Gloſſ.

lo modo ex ipsâ Glossa intelligi potest, quomodo verbum possit eam significationem habere. Scilicet, verba multa sunt ejusmodi, ut junctura significatio varietur, & vicinis verbis ita affici possunt, ut vim accipiant eam, quae, sublatis illis, tollitur ipsa. Jam, cum ea verba interpretamur, simul exprimimus illud, quod ex vicinis verbis habent. Sic, si quis interpretetur illum locum Ciceronis: (v) *exercendum corpus, & ita* afficiendum *est, ut obedire consilio rationique possit, in exequendis negotiis, & in labore tolerando:* possit sane, τὸ *afficiendum*, interpretari: *assuefaciendum;* patiente contextu. Sed ridiculum foret, si quis diceret, per se *afficere* esse adsuefacere. Si ego in glossis ponerem: Θύρα, διδαχὴ, rectum esset. Sed respicerem ad loca Graecorum Theologorum, v. e. Eusebii in Hist. Eccles. ubi non semel Θύρα Χερσὸς, de doctrina Christiana, dicitur.* Item, si ponerem, εὐδόκησαθαι, *malentibus γεγόνεναι*, non vellem, εὐδόκησθαι hoc per se esse, aut ubi cuique placeret, sed apud Platonem, in eo loco, ubi est εὐδόκησαθαι Σωκράτει, hoc sensu. Innumerabilia ejus generis afferre possemus, e Graecis Latinisque auctoribus. Sed nos adhuc unum tantum tironum causa, quod maxime clarum sit, apponemus: quoniam vidimus, inprimis eos, qui in libris N. T. temere φιλολογοῦσι, in hoc genere glossarum saepe turpissime labi. In hac forma Graeca οὐκ ἔχω ὃ, π πιεῖν, item in Latina, *nihil habeo, quod scribam*, verbum ἔχω licet interpretari ἐστὶν, *habeo, est.* Sed, si quis dicere vellet, ἔχω per se significare εἰμὶ, *habeo, sum*, & ad alias formas dicendi transferre, ubi non sequitur tale quid, quale est ὃ, π πιεῖν, *quod scribam;* item, si quis, quoniam in iisdem formulis ἔχω & *habeo* reddi potest δύναμαι *possum*, vellet dicere, ἔχω per se significare *posse*, & hoc transferre ad loca auctorum, ubi illud ὃ, π &c. non sequitur: vehementer erraret. Et tamen vidi, hoc factum esse. Jam e Glossis loca quaedam utriusque generis afferemus, hoc est, in quibus manifestum est, ad loca certa auctorum respici, inprimis LXX. interpretum & librorum N. T. aut ad certas dicendi formas, verbis per se interpretationem propositam non habentibus. *Hesychius* habet haec: Καταφρονῶν, καταβαλλόμενος. hoc καταφρονῶν per se vulgoque non significat. Sed respicitur, ut jam monuit *Pearsonius* (x) ad LXX. Interp. Genes. XXVII. 12. aut ad locum aliquem ejusmodi. Ἀνθὼν, βλάσπος, *furculus.* hoc vulgo & per se ἄνθων non significat, sed apud eosdem LXX. Plures hujusmodi glossas Hesychianas e LXX. jam collegit *Pearsonius*, eo, quo dixi, loco, *Lamb. Bos* in Proleg. ad LXX. Intt. c. 3. & viri docti indicarunt, qui in Obs. Misc. *Hesychium* illustrarunt. Sic Ἔκτασιν, ὕπνον, φόβον, recte Vir Doctus retulit, illud ad Genes. II. 21. hoc ad Genes. XV. 12. Τετλακυῖαν, ἀνδρόγυνον. Hoc ne intelliges quidem, nisi scias, sumtum esse e LXX. Hos. IV. 14. 1. Reg. XXII. 47. ut *Sopingius* vidit, &, cum Ebraico comparans, videas, ἀνδρόγυνοι esse, non, qui ambiguam naturam habet, sed qui muliebria patitur. Et quoniam semel in hoc verbo versamur, e *Suida* aliquid adjiciemus: Ἐπλίδησεν ille interpretatur ἐμάθησεν, μετέσχε μαγείας συνουσίας; quod *Hesychius* contra simpliciter interpretatur μετέσχεν, ἐκοινώνησεν. Quis hic non videt, in hac glossa *Suidam* respexisse ad locum, ubi de rei turpis πλεκτῇ sermo erat: quemadmodum apud *Petronium* quidam meretricius *sacris initiatus* dicitur. nam πλεκτὸς per se hoc non significat. Quis porro non intelligit, ad LXX. interpretationem respici a *Suida* (e qno hoc minus multa exempla adducimus, quod jam sunt a *Kustero* in Indice Auctorum utroque notata,) in illo, Εὐλόγησεν, ἐλαστρώσεν? Quis non agnoscit, has Hesychianas glossas ad N. T. pertinere? Διϋλίζοντες, διακρίνοντες, e Matth. XXIII. 24. (ad quem locum illustrandum faciunt ea, quae nos ad *Xenoph.* Mem. Socr. l. 4. 6. notavimus) Παραδιαστείλας, φανερώσας, θεμελιοῦσθαι, e Matth. I. 19. Ἀπλυντότης, ἀναίδεια γενέσθαι, ex Eph. IV. 19. Ἀπαρχὴ, ἐρρῶσθαι, ex 1. Cor. XV. 23. Τεθαλασμένα, πεφανερωμένα, ex Ebr. IV. 13. Τὰ ὅπλα τοῦ φωτὸς, ἡ φυλακὴ ἢ τῆς ὁπλῶν ἐγκρατείας, ex Rom. XIII. 12. Παρρησιάσθαι, ἐξελιθῶμεν, ex Ebr. II. 1. quae interpretatio, ut hoc obiter adjiciamus, melior est ea, quam *L. Bos* ornavit. conf. *Chrysost.* ad h. l. qui interpretatur ὑπολώμεθα, ἐκπέσωμεν. Ἐδιϋλισάτην, ἐδημοσιώσαν, e Col. II. 15. Σκύλλει, ἐσχολεῖ, e Marc. V. 35. in quo tamen loco, adhuc dubitatio esse potest. nam malim ego quidem interpretari, μεταπέμπει, *venire jube*, quod Theologos Graecos, nominatim Eusebium, sic saepe hoc verbo uti reperi. Τετέλεσται, γεγένηται, e Jo. XIX. 30. Ἐπισπάσθω, ἐνδύετο τὸ δίγμα, e 1. Cor. VII. 18. ut plurimas alias omittamus; denique hanc, inprimis memorabilem, neque, quantum scio, ad suum locum a quoquam relatam, Ἕν, ἀντὶ τοῦ εἷς, ex 1. Jo. V. 7. nisi vero quis Viri Docti (y) conjecturam amplecti malit, ut e *Scholiaste Pindari* legatur ἐν, ἀντὶ τοῦ εἰς. In *Glossis minoribus*, quod ad sacros libros attinet, etsi quaedam sunt, quibus uti in interpretatione eorum possis, quale est v. c. illud, quod ἀντεπεκρίνατο eleganter interpretantur *altercatur*, quo nihil accommodatius est ad explicandum illum locum Rom. IX. 20. τίς εἶ σὺ ὁ ἀντεπακρινόμενος, si quis, *altercari*, sciat, nihil aliud esse, nisi *disputare:* tamen ita manifeste, ut in *Suida* & *Hesychio*, ad loca quaedam respici,

(v) Offic. I. 23. (x) Praef. ad LXX. in edit. Oxoniana 6. a. (y) Obs. *Misc.* Vol. VI. p. 276.

* [Vid. Cl. Wesselling Observ. I. 21. & Cl. Elsner Sched. Crit. p. 121.]

ci, non memini me obſervare. Ceterum, ſi quis has ipſas gloſſas tractare velit, facile intelligat, opinor, multa in iis eſſe, in quibus ad certa loca ſcriptorum humanorum, cum Latinorum, tum Graecorum, & certas dicendi formas reſpiciatur: qualia ſunt illa in *Onomaſtico*: ἄγυστος, *inſipidus*: in *Excerptis*: ἀγλαΐσθω, *redimitus*: in *Cyrillo*: ἀγνισμὸς, *luſtrum*; ἀγνίσμων *inficiator*: in *Sylloge*: ἀγορὰ, *compitum*: in *Philoxeno* (in quo inprimis multa eſſe e libris JCtorum repetita, quibus deinde *Tribonianus* uſus eſt in Jure Juſtinianeo condendo, ſatis inter doctos conſtat, & innumerabilibus exemplis demonſtrari poteſt,) *dilator* ἄζηλος, *conventus* ἀγορὰ, *deſes* ἄγνωστος, *ſperatus* ἀγαπητὸς, *rudis* ἀγέλαστος &c. quae omnia ex una pagina ſumta ſunt. *conſtitutus*, *ſanus*, *Philoxenus* explicat καθεστὼς. Jam, ut *conſtitutus* non per ſe hic ſumitur, ſed quoad in certis loquendi formis *ſanum*, *locupletem* ſignificat, tanquam eum dicimus: *bene de re familiari*, *de corpore* ſ. *valetudine*, *conſtitutus*: ſic etiam καθεστὼς hic ſumitur, quoad in certis formis dicendi eandem vim habet; ut apud *Zoſim.* II. 63. Porro, ut ejus generis exempla ex *Heſychio* afferamus, τάμνω ille interpretatur συντίθεμαι. Omnes vident, hanc vim τὸ τάμνω per ſe non habere. ſed reſpicitur ad formulam ὅρκια τάμνω ex Homer. Iliad. γ'. 105. Ea ſignificat *victimam foederis ſanciendi cauſa caedere*, *quod factum erat interpoſito jurejurando*, ut docuit Heinſius ad Silium I. 119. quamquam in eo non magis aſſentior viro ſummo, quod dicit, ὅρκια eſſe *victimam*, quam Interpretibus Homeri Graecis, qui *vinum* eſſe dicunt. Nam etſi ὅρκια interdum pro *victima* ponuntur, ut exempla ab illo allata docent: tamen id fit per metonymiam antecedentis pro conſequente, quo modo etiam pro *vino*, in illo ſacrificio foederali adhibito, poni ea vox poteſt, & in illa formula ὅρκια τάμνω & ὅρκια θύειν arbitror proprie illud verbum adhiberi, & intelligi ἀφ', ut tota formula ſit τάμνω ſ. θύειν ἀφ' τὰ ὅρκια: quemadmodum θύειν γάμους dicitur pro ἀφ' γάμους, *propter nuptias ſacra facere*. (*z*) Sed ut ad verbum τάμνω redeamus, quia ὅρκια τάμνω, in pangendo foedere, propterea licet in iſta formula τὸ τάμνω interpretari συντίθεμαι. Τύψω *Heſychio* interpretatur ἴκτερος, ἐκκένωσον, δάκρυσον. Haec omnia τύπτω per ſe non ſignificat. Sed *Heſychius* reſpexit loca auctorum, in quibus ſic hoc verbum a vicinis verbis & contextu afficiebatur, ut ſic interpretari liceret. (*a*) Μῦθον ἐλίξων reddit: Ἢ ἐκετείαν ἐποιήσων ποιῶν, quod illa formula proprie non ſignificat. Apud *Homerum* vero ἦ μὴ σύγε μῦθον ἐλέγξῃς, quoniam de ſupplicantibus (*b*) dicitur, ita interpretari poſſumus. Ἀλίξων *Heſych.* vertit καλὸν, ἀγαθόν. * Ecce boni Lexicographi in Lexica ſua retulerunt, ἀλίξων ſignificare *pulchrum*, *bonum*. Falſo: *ſimilem* notat. Sed *Heſychius* in animo habebat locum *Homeri* (*c*) ἀλίξων ἀρίστων καλεῖ, & non ἀλίξων ſolum interpretabatur, ſed totam formulam αλ. α. κ. Similia his ſuot Ἔχε, ἐγαμήκει: Ἔχετο, ἐγαμεῖτο: Ἔχον, ἤλαυνον: (*d*) Ζαοὺς, ὀσφῦς, παχύς: Ἡγησίλαος, ἐπαίνεσις: (*e*) Ἡγεῖ, ἐπαίνει, ἡγανάκτει: Σωθήμαλα, μαθήματα: (*f*) Ἀποτάκιλλος, ἀναχωπίλητος: Δείμων, ῥίμος &c. (*g*) Longiores fuimus in hoc primo canone illuſtrando, tum tironum inprimis cauſa, tum quia hic canon eſt praecipuus, ſub quo ceteri velut ſub ſuo genere continentur. In iis erimus breviores.

II. Alter igitur canon hic eſto: *Interdum Heſychius & Suidas formulam dicendi interpretantur uno verbo, quod totius formae vim non exhaurit, & illud ſubſtantivum omittunt, quod erat in formula, ſupplendumque lectori relinquunt.* Id fit, quod facile intelligitur, quia non de totius formulae, ſed unius tantum verbi explicatione agitur; quamquam plerumque alterum quoque verbum adjicitur. Sic *Suidas* Ἐτίθη σκάνδαλον, interpretatur ἐστήθη; in quo manifeſtum eſt, brevitatis cauſa non repetitum eſſe σκάνδαλον, ſed intelligendum eſſe, neque ποιῶν totum illud πῆξαι σκάνδαλον explicare. *Heſychius* qui illud *Homeri* Il. σ'. 607. Πύκτης ποιητὴς, interpretatus totum erat Ἐλπομένης ἠσκημένος, cum tamen τὸ πύκτης ſenſum tantum exprimi opus fuiſſet, idem ποιῶν λίχνον (*b*) explicat omiſſo ſubſtantivo: Ἐλπομένης ἐξεμάνη. Quo loco obiter emendabimus *Heſychium*, in πύκτης. Πύκτης, Ἐλπομένης πύκτης δὲ τρίφα. lege πύκτης δ' ἔζετο ex Il. ι. 70. hunc enim locum reſpiciebat, & apponere volebat. Ceterum huic Canoni ſimillimus eſt novus iſte *Alberti* V. Cl. in *Miſc. Crit. in Heſychium* ſubjectis *Gloſſar. Gr. in libros N. T.* p. 296. jam ante propoſitus in *Obſ. Miſc.* Vol. I. p. 421. conf. *Vann. Crit.* p. 213.

III. *Heſychius in Explicatione illud verbum aut ſubſtantivum omittit, quod in voce ipſa, de qua agit, latet, adeoque ſupplendum brevitatis ergo relinquit lectori.* Nempe, quia verbi compoſiti altera tantum pars interpretatione videbatur egere, altera per ſe clara erat. Pauca exempla ex multis ab *Alberto* memoratis apponemus: Ἀφίδακρις, παχέως. Viri docti male putabant addendum δακρύων. Intelligi volebat *Heſychius*. Αὐθάδης, αὐτὸς ἐφ' ἑαυτοῦ: intelligendum ἁδὼν, ſ. ἀνθάνων. Ἀνέπνιον, ἀνεκτῶντο intellige πνεῦμα, niſi forte mavis in hoc exemplo ſufficere vim verbi medii, ut Latini dicunt, *recipere ſe*, & *recipere ſpiritum*, inprimis cum ἀναπνεῖν metaphorice dicatur pro *recreare*, *recipere vires*,

(*z*) Vid. Cuper. *Obſ.* III. 13.
(*a*) Vid. Gatak. *Adverſ.* p. 460.
(*b*) *Iliad.* ι. 518.
(*c*) *Iliad.* ζ. 402.
(*d*) *Homeri locav. apud Euſtath. in Indice.*
(*e*) Hom. *Il.* β. vſ. 801.
(*f*) Juliani *Ep.* 25. v. Petav. p. 113.
(*g*) Vid. *Obſ. Miſc.* Vol. IV. p. 95. 96.
(*b*) Hom. Il. ι. 617.
[Vid. ibi *Not.*]

res, otium nancisci, quod ipsum est ἀκαιρίαν, ut e glossis Philoxeni patet. Ἀεχώτης, ὁ παρηγόρως, intellige, ἀεχῆς. Sed idem hic Canon convenit etiam *Suidae* & *Glossis minoribus*. *Philoxenus*: ἱππικὸν τάγμα: *equester*. Intelligendum est, *ordo*, ut facile intelligitur. Onomasticum: ἱππαφορεύς. *tolutarius*, intellige, *equus* &c. Est autem Canon noster etiam inversus, a viro docto in *Obs. Misc.* vol. V. p. 80. propositus, ubi ille *Hesychii* glossam: Βαλίαν, κατάκτην, ποικίλον, Κρῆτες ταχὺν, ἴλαφον, πηδῶν, βαλίαν, sic constituit: Βαλίαν, κατάκτην, ποικίλον, ταχὺν ἔλαφον apud *Eurip.* Hec. v. 90. ubi Critici veteres similiter interpretantur, ταχείαν ἔλαφον. Apparet, quemadmodum ex nostro canone, verbum in capite ponitur, intelligendum in interpretatione, ita hic omitti in capite, atque in interpretatione poni; vereque judicat ille Vir doctus, hunc Canonem observatum lucem affundere multis *Hesychii* locis, neglectum offundere tenebras & errandi locum facere. Sic in Ἀδικάνης, πεπληρωμένοι ὕπνῳ substantivum ὕπνῳ, pertinebat ad ἀδικάνης, respexit enim ad Homer. Iliad. κ. 98. ut vidit Valkenaer Vir Cl. in *Observ. Misc.* Vol. VIII. p. 148. ubi similia exempla reperies.

IV. *Canon quartus* hic esto: *Glossaria saepe rem interpretantur, per attributum rei, & attributum per nomen rei:* Quod cum sit, manifestum est, certa loca auctorum respici. Utriusque generis exempla ponemus. *Philoxenus: Ancus Marcius*, λοξός: ita enim legendum, non *Ancus*, *Mancus*, cum *Mancus* sit potius truncatus & carens alinqua parte, quam λοξός, quod est, *cernuus*, *incurvus*, & alio verbo λαξός, κυρτός, qualis fuit ille ap. Homerum Thersites; unde medicis λόξωσις & λοξοῦν dicuntur. (*i*) Idem: *Brutti* (l. *Bruttii*, & intellige, equi, vel pulli equini:) ἀνήμερον πῶλον. tales enim *sylvestres equi*, quos Strabo etiam ἀγρίους vocat, fuere in Bruttiis. Idem: *Luci.* ἀξίας τόπους (l. ἀξίας τόπους, nisi *Luci* est genitivus) quod proprie est *loci honorati*, *sancti*, quales sunt *luci*. Idem: *Seria: ἀκαθαρσίαν.* quod ille invenerat dictum sine dubio de seria, quam feces olei, aut muria impuram effecerant. *Hesychius:* ἰλικοπώλου, καθαρᾶς: in quo clarum est, attributum rei explicari per nomen rei, cum καθαρίδες sint ἐλικοπώλιδες. Idem Canon lucem dat, & a dubitationibus Viri Docti, (*k*) vindicat *Hesychium* in v. Κοινὸς, cui verbo subjecta sunt haec substantiva, δεσπότης, δῆμος, ἀδελφός. Scilicet, vir doctus, qui in hoc loco haerebat, post *Stephanum* (*l*) putabat, *Hesychium* velle hoc, ut κοινὸς significet *fratrem*, *dominum* &c. neque meminerat, *Hesychium* hic commemorare tantum substantiva, quibus, hoc adjectivum additum invenerat. Nam sensu non adeo vulgari κοινὸς δεσπότης dicitur Graecis, *aequus*, *facilis*, sicuti Latini *communem infimis* dicunt, qui se non effert super alios, civilem facilemque; potnitque in animo habere locum Comici alicujus, in quo servus dominum κοινὸν appellabat, qualem *Ciceronem* potuisset *Tiro* servus dicere. κοινὸς porro de fratre saepe dici apud *Sophoclem*, testatur *Scholiastes* ad *Antig.* V. 1. τὸ δὲ κοινὸν ὁ Σοφοκλῆς σωφρόνως ἐπὶ τοῦ ἀδελφοῦ τίθησι, ἵνα ᾖ ὁ παῖς ὑφορώμενος τέτακται, πολύκοινον - ἀντὶ τοῦ πολυάδελφον. Nota mihi, *Scholiasten* non dicere, κοινὸν poni a *Sophocle* ἀντὶ τοῦ ἀδελφοῦ *pro*, sed ἐπὶ *de fratre*, non σωφρονικῶς sed ἐπιβουλικῶς. Et quoniam *Hesychius* ipse provocat ad *Sophoclis Antigonen* & quidem v. 1. ad quem haec *Schol.* habet; sine dubio ex his *Scholiastae* verbis ea pars glossae petita est. Similiter in δῆμος observabatur *Hesychio* locus aliquis, ubi δῆμος κοινὸς peculiari aliqua ratione dicebatur, tanquam *a partium studio alienus*, *neutri parti plus favens*, aut etiam pro *populo communi* quibusdam, qui inde *populares* dicuntur. Atque hoc exemplo intelligi potest utilitas canonis nostri.

V. Quintum canonem hunc ponimus: *Glossae saepe genus interpretantur per speciem, & speciem per genus.* Sic *Glossae minores* ἄλγιον explicant *trullam*. *Hesychius* contra ἀμύλων, ὁ κριθής. In quo tamen *Albertus V. Cl.* putat, ex illo superiori canone, repetendum ἀμητοῦ: quod nobis necessarium non videtur, cum *Hesychius* potius videatur voluisse hac glossa distinguere ἀμητὸν ab ἀμήτου, *tempus*, ab eo, *quod in tempore fit*, *vel colligitur*. *Suidas*, Εὐπέμφατα, ὑπεστέγασται, πλόσια, cum proprie sint *pulchro limbo praetextae vestes*. Sic in *Onomastico* est ἁλυργὶς *palmaris*, proprie *purpurea*.

VI. Sextus canon, nemini, quod sciam, observatus, est hic: *Hesychius interdum in nominis interpretatione ponit, non modo aliud nomen, quod ei respondet, sed etiam adjungit ejus nominis disjunctum & contrarium.* Id fit propterea, ut eo melius sensus glossae appareat. Ejus canonis exemplum hoc esto. Ἰδιῶται. πολῖται, ὁπλῖται, ἀπίλεγες. Facile intelligitur, πολῖται & ἀπίλεγες esse ἰδιῶται, non autem ὁπλῖται: quamquam aliter videatur Viro docto, in *Misc. Obser.* V. X. p. 9. inducto loco quibusdam Xenophonteis; in quibus tamen ἰδιῶται, *milites* dicuntur, non qua milites sunt, sed qua aliis parent, neque in *oppositione* ad paganos, sed imperatores & duces. Itaque in illo loco distinctio mutanda est, & sic scribendum: Ἰδιῶται, πολῖται ὁπλῖται, ἀπίλεγες, aut interponendum καὶ inter πολῖται & ὁπλῖται. Nam cum ἰδιώτης multa significet; semper e disjuncto adjecto, quomodo capiendum sit, judicari debet. Eadem ratione usus est *Sui-*

(*i*) Foës. Oecon. *H.* in h. (*k*) In *Obs. Misc. Nov.* T. I. p. 82. (*l*) Thes. Gr. L. in Κοινὸς.

Suidas in eadem re; qui disjuncto ponendo interpretatur παγανός. Παγανά. οἱ δὲ ερατικὰ καὶ παγανά.

VII. Canon *septimus* hic sit: *Glossaria saepe vocabula interpretantur per ea, quae rem vel antecedunt, vel comitantur, vel consequuntur.* Hujusce canonis aliis jam, nominatimque Gatakero (*m*) observati, late patet usus. Exempla haec sunto: *Hesychius:* Ἐνυπνιάσθησαν, ἐνεμάσθησαν. Cave putes ἐνεμάσθησαν plane exprimere τὸ ἐνυπνιάσθησαν. Indicat tantum suspensionem rei, quae supplicium illud antecedebat, ut paullo post docebimus. Ἄζρωτος est proprie, ut in glossis minoribus est, *inesus, irrosus.* Sed *Hesychius* per consequens interpretatur, ἀζήμιος: quia, qui ἄζρωτος a fera discedit, illaesus abit. Sic *Aelian.* V. H. I. 5. de vulpe marina: ὁ ἀλιεὺς αὐτὸν οὐκ ἐδίωξε. Ibi ἐδίωξε sane eodem modo posset reddi per antecedens, ἔλαβε, *cepit*, aut per consequens, ἔβλαψε, *nocuit.* Ἀλείφω est *ungere.* sed quia apud veteres ungebantur, qui luctari debebant, atque ipsa unctione ad pugnandum incitari videbantur, unde *Anacharsis* oleo furiosos reddi dicebat, propterea *Suidas* interpretatur διεγείρει, *incitare*; & ita usus erat is, quem auctorem nominat, *Aristophanes.*

VIII. Canon *octavus* hic sit, *Glossariorum & Lexicorum Graecorum auctores interdum verbum, aut locum, in quo verbum occurrit, ponunt sine interpretatione.* Huic canoni duo genera exemplorum subsunt; in quorum altero inprimis cavendum est, ne decipiamur. Primum, interdum nudum verbum ponitur, ut observatum est *Cl. Alberto* in Obs. Misc. Vol. II. p. 127. qui merito & eos reprehendit, qui interpretationes ex ingenio addiderunt, atque ita *Hesychium* atque *Suidam* interpolarunt; & *Kusterum V. Cl.* qui hujusmodi verba interdum e *Suida* omisit. Sed in hoc genere nullus alius error intercedere potest, non magis, quam in illo, ubi verbum nudum cum exemplo ejusmodi ponitur, ex quo vis verbi facile intelligitur, cujus generis est illud *Suidae* in παγανά. Verum etiam vidi, ubi verbum habet adjunctas interpretationes, deinde vero subjectum locum aliquem auctoris, ad quem illae interpretationes plane non pertinent. Ejus generis illustre exemplum est apud *Suidam* in Εὐαρέσατον, quod ille interpretatur μικρὸν, παχέως ἀδιακρίτως. Deinde addit; ἢ ὁ Ἀπόστολος· ἢ ἡ ὑπερίσατον ἀμαρτίαν. In quo manifestum est, vel ex illo: ἢ ὁ Ἀπόστολος, in illis interpretationibus, non ad locum Apostoli, sed ad alia, respectum esse. Sic idem *Suidas* in Αἶσν, propolita interpretatione ξηρὸν, & adjectis duobus locis, in quae ea interpretatio convenit, adponit tertium καὶ αἶσα· καὶ τὰ ἅ αὐτῷ ὑπὸ τοῦ φόβου ἦν &c. in quem interpretatio illa non cadit, (*n*) quique adeo sine interpretatione positus est.

IX. Canon *nonus: Hesychius ponit ante interpretationem non modo verbum, quod interpretari volebat, sed addit etiam interdum aliud, ex quo intelligatur, ex quo loco petita glossa sit.* Hujus canonis exemplum insigne est in ἐνυπνιάσθησαν, sub finem τοῦ στοιχείου Λ. cui adscriptum est ἐναρίσθησαν. Nam id esse loco suo motum, & ad suum locum revocandum *Gatakerus* monuit, & res ipsa loquitur; legendumque adeo, ἐνυπνιάσθησαν ἐπεισόθησαν, (sublato commate) ἐνεμάσθησαν, ἐσφαλείσθησαν. Sed quis non videt, τὸ ἐπεισόθησαν non esse interpretationem τοῦ ἐνυπνιάσθησαν, sed adjectum ab Hesychio, ut indicaret hoc magis, se locum Epistolae ad Ebraeos explicare velle. Huic simile est illud, quod idem Hesychius habet: Ἀρίσθερσε, ἐπόδωσε: ubi post *Bentlejum*, virum summum, recte monuit *Albertus* V. C. (Peric. Crit. p. 65.) legendum ἄς' ἴσθερσε ex Hom. Il. μ'. 462. Nam ibi tantum verbum explicatur.

Plures fortasse constitui possunt ejusmodi canones, sed ii aut tironibus quoque faciles, pendentes nempe a legibus troporum, qualis est, quem septimo posuimus loco, aut nobis nondum observati: quos speramus *Albertum V. Cl.* nobis propediem explicaturum, qui permultos annos, id quod non uno specimine jam omnibus probavit, feliciter in *Hesychio* tractando versatus est, & nunc, ut audio, cum maxime in eo edendo laborat. Nobis quidem videntur hi nostri sufficere posse tironibus ad indolem rationemque Glossariorum cognoscendam; ut deinde, quod nos maxime efficere volebamus, quomodo iis uti debeant, eo facilius ostendi possit.

Ceterum non dubito, quin hac tota disputatione effectum etiam illud sit, ut intelligatur, id quod supra jam posuimus, Glossaria vel propter corruptelas, vel propter res reconditas, vel propter modum denique vocabula interpretandi, difficultate magnaque obscuritate laborare. Quare, si quis velit iis libris recte in interpretando uti, ab eo postulamus, *ut fit in legendis Graecis scriptoribus multos annos diligenter versatus.* Hac lege arcemus ab his Graecae eruditionis, ut Heinsius vocat, σφυζηνίους omnes eos, qui Graecas literas vix attigerunt, neque plus didicere, quam a praeceptore domestico, vel alio, qui ultra Lexica vulgaria non sapiebat, per pueritiae tempus potuere; neque post, ad disciplinas, quas altiores vulgus vocat, delati, de Graecis scriptoribus, eorumque interpretibus bonis, cum veteribus, tum novis, perlegendis cogitarunt; qui melius sane sibi famaeque consulerent suae, si systematum & compendiorum suo-

(*m*) *Misc. Posth.* c. 45.

(*n*) V. L. Bos *Animadv.* p. 145.

ſuorum anguſtiis ſe potius continerent, quam interpretari & ex antiquitate illuſtrare ſcriptores cum divinos tum humanos auderent. Fieri enim non poteſt, quin magno conatu nihil agant, & cum ceteris interpretationis ſubſidiis, tum his Gloſſariis perverſe utantur, quae illi ſaepe intelligere nullo modo poſſunt. Summi viri, *Heinſius*, *Pearſonius*, *L. Boſius* aliique vere dixere, *Heſychium* magnam lucem praebere Interpretationi LXX. ſeniorum, idoneiſque exemplis demonſtravere, & Interpretationem illam contra *Heſychio*; idemque de *Suida* dici poteſt, ſed ut illam tu lucem ſentias, verſatiſſimus iis oportet in illa Interpretatione legenda & cum Ebraico textu comparanda. Juvat librorum N. T. interpretem *Heſychius*. Fateor. Sed oportet hos non modo familiares ſibi reddiderit ante, & Theologos Graecos cognoverit, e quibus Heſychius profecit, ſed etiam rationem & conſuetudinem *Heſychii* in gloſſis explicandis, magnam denique antiquitatis & eccleſiaſticae & profanae ſcientiam tenere. Prodeſt in reliquis ſcriptoribus graecis explicandis *Heſychius*, prodeſt *Suidas*, profunt *Gloſſae Labbaei*: ſed ei, qui ſcit uti & poteſt, hoc eſt, in antiquis ſcriptoribus verſatiſſimo, ut quorſum reſpexerint, ad quos ſcriptores, ad quam aetatem, ad quam formam loquendi, judicare poſſit; rerum porro antiquarum, & linguae Graecae, quatenus a rerum ſcientia pendet ejus cognitio, quae eſt illius longe nobiliſſima pars, perito, & qui uſu & exercitatione ἀξίνωσιν judicandique facultatem, ſive comparaverit ſibi, ſive auxerit, ut, qualis unaquaeque gloſſa ſit, abſolutene verbum explicetur, an ad locum aliquem formulamque dicendi reſpiciatur, conjectura aſſequi poſſit, etiamſi locum ipſum aut formam dicendi ignoret. Atque in hoc poterit *Albertus V. C.* multum, inprimis mediocrium hominum imbecillitatem, juvare, ſi non modo indicabit, unde quidque ſumtum ſit, quoad opus eſt & fieri poteſt; quo nomine & *Kuſterum* de *Suida* praeclare meritum ſcimus, & ipſum de *Heſychio* meriturum, egregiis illis ſpecimiribus in *Periculo Critico* & in *Obſ. Miſc.* editis inducti confidimus; ſed etiam, quia hoc fieri ſemper non poteſt, quod in ea re caſus etiam & fortuna quaedam dominatur, & quaedam ſunt e deperditis ſcriptoribus, ſi ſignis adpoſitis iſtas gloſſas notabit, quibus moneantur lectores non ſatis docti & exercitati, ea gloſſa ad certum locum auctoris alicujus aut certam formulam loquendi reſpici, enm locum nondum inventum. Ceterum, quoniam, quae hic ab eo, qui Heſychio recte uti velit, poſtulavimus, jure a nobis poſtulari, ex iis, quae in ſuperioribus diximus, ſatis intelligitur; illud unum tantum paucis exemplis confirmabimus, quod diximus, rerum antiquarum, linguae Graecae interioris ſcientiam & Theologorum Graecorum lectionem requiri. *Heſychius* Χαϱακτῆϱ interpretatur ὁμοίωσις. Non dubito, reſpexiſſe eum ad *Ebr.* I. 3. inductus idoneis Theologorum Graecorum locis. Sed ea interpretatio ambigua eſt. Poteſt enim & Ariana eſſe, & orthodoxa. Hic, ſi ſciremus, unde petiſſet illam, res nihil difficultatis haberet. Sed mihi tamen orthodoxa videtur, modo recte iotelligatur, & ex aliquo bono Theologo Graeco petita. Nam etiam Chryſoſtomus ad eum locum hoc verbum interpretatur, per τὸ ὅμοιον εἶναι, ſed addit χϱὴ πάντα, καὶ ὑσίαν, cujuſmodi quid etiam in eo Theologo adjectum videtur fuiſſe, e quo *Heſychius* hic profecerat. Contra, quod, in editione *Schreveliana*, in notis, ad eundem locum refertur Ἀπαύγασμα, ἁλὶς φίϛ⸗, non probo, nec ei loco convenit. eſt enim potius *exemplar plane expreſſum*, *imago viva & abſoluta*, aut ſimile quid, eo fere ſenſu, quo *Philo de Plantatione Noë* (*o*) (qui locus *Philonis* accommodatior eſt, eo, quem Viri docti e libro *de opific. mundi* vulgo adducunt) Sanctuarium templi vocat ἀπαύγασμα ἁγίων, μίμημα οὐϱανίου. Τὰ ἅγια intellige de coelo, ut eſt etiam in Epiſtola ad Ebraeos. Idem Heſychius Ἐτυμπανίσθησαν interpretatur ἐκπιμάσθησαν, ἐσφαιρίσθησαν. Ea gloſſa pertinet ſine dubio ad *Ebr.* XI. 35. & veram iſtius loci, ut mihi videtur, ſententiam exprimit. Sed hoc quomodo quis imperitus Graecae antiquitatis intelligere poſſit? Intellexit quodammodo *Gatakerus*, qui de illo verbo late agit *Adv. Poſt. c.* 46. Sed multo melius intellexiſſet, ſi, aut legiſſet, aut in memoriam revocaſſet locum *Zoſimi* (*p*) ubi Rufinum narrat juſſiſſe Lucianum Comitem Orientis σφαίϱαις μολιβδίναις κϱὸ τοῦ τϱάχηλ⸗ πλήξαι, eumque ex illis verberibus mortuum eſſe. Nam illud σφαίϱαις μ. π. eſt σφαιϱίζαις, & eſt *ſupplicium plumbatarum*, cujus ſaepe in *Codice Theodoſiano* fit mentio, illuſtratum a *Meurſio* & *Cangio* in v. πλυμβάτου, πλυμβατίζω, & *Gothofredo* ad *Cod. Theodoſ. l.* 2. *de quaeſtionibus*. Nempe τύμπανον eſt etiam flagellum, e loris v. c. membranaceis: unde gloſſae min. interpretantur *tomex*. *Heſych.* τύμπανα, δϱεμάπια, σφακτήϱια, quae gloſſa etſi eſt corrupta, tamen videtur ſimili modo τύμπανα explicaſſe. Neque id notationi τοῦ τυμπάνου repugnat, aut conſuetudini Graecorum, quibus etiam σκέλ⸗ de *flagello* dicitur, ut docet *Voſſ. ad Catul. p.* 223. qui inde notum illum *Pauli* locum explicat 2. *Cor.* 12. 7. Sed extremis loris innectebantur *globuli plumbei*; unde ejuſmodi flagello aliquem caedere, dicebatur σφαιϱίζειν. Eo autem ſupplicio ſaepe martyres affectos indicat locus *Prudentii* a

Go-

(*o*) L. II. p. 221. ed. Franc. (*p*) V. 2.

Gothofredo allatus, qui plane convenit cum loco *Zosimi*, e *Martyrio Romani in Parisieph. H.* 10. *cf.* 116. *f.*

Tundatur terga crebris ictibus,
Plumboque cervix verberata extuberet.

Et quoniam, ut e *Terentio* intelligitur *Phorm. I.* 4. 42. (Ego plectar *pendens*) flagris caedendi, manibus vinctis, ſuſpendebantur, ut melius caedi poſſent; propterea *Heſychius* addit ἐκρεμάσθησαν. Exemplo etiam eſſe poterit, praeter alia, quod *L. Bos Animad.* p. 167. *e Catena Patrum* ad explicandum *Suidam* in Ἀδιαθέν attulit, qui locus ante a nemine intelligebatur. Editum erat a *J. Rutgerſio* Gloſſarium parvum, in multis corruptum & perobſcurum. Sed poſtquam a *Struvio* animadverſum, eas Gloſſas ex *Oppiano* eſſe *, ſtatim ſanata pleraque & lux multa affuſa. Sed regulas quaſdam conſtituemus, quibus juvari non ſatis exercitatos in ea re poſſe putem, inprimis in ſacris literis interpretandis, quaeque e ſuperioribus canonibus intelligi poterunt.

Primum ergo videndum, *an verbum in Gloſſario totidem literis jaceat, quot eſt in contextu ſcriptoris, quem interpretari volumus.* Haec regula locis, ſupra allatis, ad *canonem* 1. confirmata, perraro fallet, neglecta ſaepe ſui neglectum ilciſcetur. Atque ea quoque me movet, ut *Heſychium* putem voluiſſe in verbo Ἐνυμπαιόθησαν interpretari locum *Paulli*, quia verbum totidem literis eſt apud Paullum; cum is contra πυμπαίζει, in quo ad alium ſcriptorem reſpiciebat, aliter interpretetur, quoniam id verbum, ut bene ſcio, etiam alias ſignificationes habet: quo accedit etiam id, quod *ad canonem nonum* ante diximus. Τὰ Βάθη *Heſychius* explicat τὰ ἀχώρητα, τὰ ἀκατάληπτα. *Gujetus* reſpici putabat ad *Rom.* XI. 33. Falſo. Non erraſſet, ſi regulam noſtram ſecutus eſſet. Vidiſſet, reſpexiſſe *Heſychium* ad illa verba *Paulli:* (*q*) Πνεῦμα ἐρευνᾷ πάντα, καὶ τὰ βάθη τοῦ Θεοῦ, ut *L. Bos* (*r*) jam monuit. Ceterum, hac regula adiubita, *Millius* invenit, prope quadringenta vocabula *Novi T.* ab *Heſychio* illuſtrari. (*s*)

Altera regula haec eſto: *Non debemus iſtas interpretationes neceſſario certas putare, ſed judicium adhibere & cum contextu & re ipſa comparare.* Nempe gloſſae ejuſmodi ſaepe tantum docent, quomodo Grammaticus, aut Theologus unus itemque alter, verbum certo loco poſitum ſit interpretatus. At quemadmodum interpretationes librorum in aliam linguam, etiam eo tempore factae, quo utraque lingua adhuc viva erat, tamen non ſunt abſolute certae; ita etiam gloſſaria non ſunt magis ab erroribus libera, atque ii fuere, e quibus ſunt congeſta: inprimis cum ſciamus, interpretationes verborum e ſacris libris aut e ſacra doctrina in univerſum, ab iis interdum ex minus recte ſentientibus Theologis repetitas eſſe, & in quibuſdam verbis explicandis ne orthodoxos quidem conſenſiſſe. *Suidas* Ἐφρίαξαν explicat ἐπεσχέθησαν, e *Pſalm.* II. 1. Eam interpretationem e Theologo Graeco petiit. Sed alius, nempe *Theodoretus*, ad illum locum, ut *Kuſterus* monuit, reddit ἐλαφοθύμησαν. Uter rectius explicaverit, lectoris judicium eſt. Idem *Suidas:* Αὐτολόχοῦ. αὐτογέννη. ὁ Ζεὺς ἀγέννη. *Heſychius:* Αὐτολόχοῦ. Ζεὺς ἀγέννη. αὐτογέννη. Quae ſunt manifeſte falſa & ex *Orphei* lacunis, ſuppoſititiique *Hermetis* repetita, ut egregie *Heinſius* oſtendit. (*t*) Itaque *Heſychius* interdum ejuſdem verbi plures interpretationes, ad eundem locum reſpicientes, eque variis auctoribus depromtas, adducit, & lectori optionem relinquit.

Et quoniam Gloſſaria ſaepe in ſingulorum verborum interpretatione ad certam formam loquendi reſpiciunt; ſi locus non tenetur, ad quem reſpexerunt: aut videndum, num quod exemplum ſuccurrat, in quo verbum eam ſignificationem habeat, aut e propria ſignificatione verbi judicandum, quibus aliis verbis junctum, eam vim habere poſſit, quae ei tribuitur, ut ad alia quoque loca eam interpretationem transferre poſſis. *Suidas* Ἀζίωτον interpretatur κακόν, ἀνδρός, ἀδυνατῆν: eodemque fere modo *Heſychius*. Gloſſae autem ἀζίωτον, *qui male vivit.* Haec omnia vocabulum per ſe non ſignificat. Sed ſi ſibi occurrat, Graecis dici ἀζίωτον βίον, Latinis *vitam non vitalem*, pro vita miſera & injucunda, quae pro nulla vita habenda ſit, v. c. apud *Zoſ.* V. 24. facile intelligas, ad hanc formam reſpexiſſe *Suidam* & *Heſychium*. Itaque facile deinde judices in aliis locis, ex ſimilitudine aut diſſimilitudine loqueodi, an ea ſignificatio locum habeat nec ne. Sic in illis, quae ſupra poſuimus, ιο Ἄζρωλ & Ἀλαῦμαι, e propria utriuſque verbi ſignificatione judicare licet, quando ἄζρωλ pro ἀνελεῖν, & ἀλαῦμαι pro λυπῶμαι, dici poſſit; nempe illud, ubi homo beſtiam; aut beſtia infirmior fortiorem effugit; hoc autem, cum περὶ κερατείων, ut in loco *Ariſtophanis*,

(*q*) 1. Cor. II. 10. (*r*) Animadv. p. 135. (*s*) In prol. ad N. T. p. CI. ed. Oxon. (*t*) *Ariſtarch.* 3. p. 89.

* [Vide omnino *Miſc. Obſ.* IX. 1.]

nis, a *Suida* laudato, aut πρὸς μάχλω, aut simile quid, adjectum sit. Θύραξ & καρδίαν veteres interdum interpretantur στόμαχον. Atque illud hoc sensu est apud *Eusebium*, (v) ubi etiam *Rufinus stomachum* interpretatus est; hoc apud *Thucydidem* in nobili illa ῥῖνες de peste. (x) Sed si velis hanc vim verbi ad alia loca interpretanda adhibere, videndum est, quibus aliis verbis a medicis, hoc sensu, verba illa jungantur, aut quibus juncta, de *stomacho* intelligi possint: qualia sunt ἀναγωγὴ apud *Eusebium*, & ἀναῤῥῖψαι apud *Thucydidem*, κένωσις & similia. Sed hoc cum non possit fieri, nisi ab eo qui consuetudinem linguae Graecae jam egregie perspectam habet; intelligitur, difficilem esse in hoc genere Glossariorum usum.

Haec sunt, quae hoc tempore de usu Glossariorum Gr. dicenda habui. Nam quae praeterea dicere poteram, ea e canonibus supra propositis per se intelliguntur. Reliqua usus & exercitatio docebit, cujus indocilis est disciplina.

(v) H. E. VI. 3. (x) II. 49.

LECTORI

S. D.

J. ALBERTI.

Quum in superioribus Cl. Suiceri Specimen alterum, *una cum* Excerptis *Epistolarum ineditarum, dederim, in quibus frequens* prioris *cujusdam* Speciminis *mentio, quod ab eo demum tempore in manus meas incidit; idem hoc loco inferendum curavi, quod a paucissimis visum sit. Prodierat forma majori.*

ERUDITO

ET

LITERARUM GRAECARUM

STUDIOSO LECTORI

S. PL. D.

JOH. CASPARUS SUICERUS,

LINGUAE GRAECAE IN SCHOLA TIGURINA PROFESSOR PUBLICUS.

Hesychio, *Grammatico Alexandrino, primas, inter Lexicographos veteres, deferunt Viri. Linguae Graecae perititissimi. Ex infinitis paucos audire juvat. Nicolaus Fullerus eum* eruditissimum *vocat* Lexicographum. *Magnus Casaubonus* eruditissimum Grammaticum; doctissimum Criticorum; Glossographorum longè principem *appellat. Doctissimus Heinsius testatur*, in Hesychio non Graeciae totius modò, sed ex parte & Orientis eruditionem conclusam jacere. *Idem, eum* mirae ac profundae eruditionis Grammaticum; abyssum eruditionis veteris; principem interpretum Graecorum; & *ejus Glossas*, incomparabiles Glossas *nomi-*

minat. Docet quin etiam, eum universae nobis Graeciae deperditae thesauros reliquisse. *His* σύμμυστος *Cl. Salmasius, cui* Glossographorum optimus; *& Meursius, cui* vir omnis antiquitatis peritissimus, *& ejus Lexicon* praestantissimum Lexicon, & antiquae eruditionis penu. *Hisce (ut alia Clariss. Scaligeri, Gatakeri, Bocharti, Croii, &c. nunc quidem, testimonia taceam) encomiis, Virorum aliorum doctissimorum* κελεύσμασιν, *ipsius quin etiam Hesychii sedula jam olim lectione excitatus & inflammatus, qua ratione tantus Thesaurus Graecae linguae cultoribus familiarior, quam hactenus ob exemplarium inopiam fuit, reddi posset, solicitè cogitare coepi. Ejus ergo editionem novam multa suadebant, longè plura dissuadebant. Dissuadebant innumera, quibus omnes ferè scatent paginae,* σφάλματα. *Dissuadebat profunda Autoris hujus, ac proinde investigatu, nedum captu, difficilis eruditio. A proposito me summa illius deterrebat audacia, ne dicam malitia, qui testimonia Autorum, sine quibus Hesychius mutilus est & mancus, & ne à doctissimis quidem satis intelligitur, pessimo sacinore, ut doctissimus loquitur Bartbius*, Lexico huic demsit. *Literarum tamen Graecarum me tandem vicit amor. Studiosè igitur, quaecunque ad hoc Lexicon, aliquo saltem modo restituendum atque illustrandum facere videbantur, ex optimis quibusque Scriptoribus tam Graecis quàm Latinis sedulò collegi. Ne autem vel aliorum, vel meas Orbi obtrudere videar conjecturas, Hesychium, qualis ad nos pervenit ex editione Veneta, Florentina, Basileensi, & Hagenoënsi; aliàs nec vidi, nec, an sint, satis novi; sine ullâ mutatione integrum exhibeo, adeòque Lectori liberum relinquo, ut vel in Notis expressas recipiat emendationes, vel meliores & certiores sua excogitet* ἀφυσίᾳ. *Quanquam verò de totius operis absolutâ, vel etiam Aristarchis grata emendatione me nihil praestare posse cernerem, aliquid tamen, post tot tantorum Virorum vota, conari, quàm tam eximium Thesaurum reipublicae diutius invidere literariae malui. Imò, ne temerarius haberer, laboremque, cujus me deinceps fortè poeniteret, susciperem, praefens Specimen praemittere, doctorumque de eo judicia colligere consultum putavi. Omnes igitur, quibus literarum Graecarum incrementa curae sunt atque cordi, quâ par est observantiâ etiam atque etiam rogo, ut, quid de meo sentiant proposito, & qua ratione novam hujus Lexici editionem, prioribus omnibus longè correctiorem & utiliorem adornandam judicent, candidè aperire, mecumque quam primum benignè communicare ne dedignentur. Id si ab ipsis impetravero, maximo me beneficio affectum agnoscam, atque, ut de illis quoque bene merear, operam dabo. Tiguri*, XII. *Kal. Decembris, anno Christi* MDCLXII.

TESTIMONIA QUAEDAM SELECTIORA DOCTORUM VIRORUM DE HESYCHIO.

ALDUS MANUTIUS

ad Jo. Jac. Bardellonum, in *Praefat. Edit. primae.*

Agimus tibi, quas possumus, gratias, & nostro, & studiosorum nomine, qui hoc ipso libro usuri sunt. utentur autem eo omnes, quicunque capti amore bonarum literarum non cessant exemplaria Graeca nocturna versare manu, versare diurna, idque ob plurimam, quae in eo est, dictionum copiam. &c.

HENR. STEPHANUS

Praefat. ad Indic. Thesauri Gr. L. p. 230.

Habet Hesychius non solum Laconica quaedam, Argiva, Arcadica, Boëotica, Cretensia, Salaminia, Macedonica, Thessalica, Pamphyliaca, Sicula, Syracusana, Tarentina, aliaque plurima: sed etiam AEgyptiaca, Persica, Lydia, Scythica, Celtica, aliaque aliarum gentium vocabula, quae nihil omnino cum Graeca lingua commune

habebant, sed ei barbara erant. — — Quid quod Hebraicas etiam voces apud eundem Lexicographum legimus? — — [Conf. omnino ejus *Praefat.* insertam *Tom.* I. *Thes. Gr. L.* p. 1826.]

IDEM *in Indice*, ad v. Ἐπανωδίζειν, p. 943.

Aliud est Hesychii, aliud Editionum Hesychiani Lexici auctoritas.

THEODORUS CANTERUS

Var. Lect. L. I. c. 18.

Hesychius Grammaticus doctissimus. Hunc ante vigesimum annum emendare se dicit *ibid.*

HADRIANUS TURNEBUS

Adversar. l. XXX. c. 38. notat,

Hesychium debere numerari pro centum millibus testium.

HADRIANUS JUNIUS

Append. ad Animadverss. p. 397. *Ed. Arkel.*

Tot sunt insanabilia in Hesychiano Dictionario ulcera, eaque plane Telephia, ut Peliadae hasta opus sit, hoc est, Achille quopiam, quo inde remedium petatur, qui ea inflixit, nempe ut qui errores in describendo per negligentiam commisit, majore studio eos recudat, & corrigat.

JULIUS CAESAR SCALIGER

de Plantis L. I. p. 64.

Hesychius *Sideriten* lapidem facit alium ab *Herculeo*. — — Credo illius seculum fuisse admodum βαρβαρικὸν. Multis etiam deprehendere licet, eum congessisse in illud horreum simul enm frugibus etiam scarabaeos cum suis tabernaculis, dum omnibus ex areis omnia converrit sine vanno aut cribro. [Conf. ejusd. *Exercit.* ad Cardan. p. 451. 455. &c. & Reines. ad Vorst. *Epist.* 26.]

JOSEPHUS SCALIGER

in *Primis Scaligeranis*, p. 90. *Ed. Tan. Fabri.*

Hesychii & Erotiani Lexica ad Hippocratem intelligendum maximo erunt adjumento: quorum hic ex professo ipsius Hippocratis dictiones exactissime perpendit enarratque; ille vero fuit optimus Grammaticus.

IDEM in *Scaligeranis*, quae dicuntur *Altera*, p. 109.

Hesychius *est un tres-bon auteur. Nous n'avons que l'Epitome; les citations sont omisses.*

IDEM L. I. *Epist.* 84.

Quod legimus apud Hesychium [de voce Μανὰς] plane ex Theologis illis [veteribus] est, ut alia multa apud illum eruditissimum Glossographum.

FLORENS CHRISTIANUS

ad Aristoph. *Vesp.* vs. 542.

Hesychius bonus & antiquus Glossematarius.

Ibid. ad *Pacem*, vs. 198.

Hesychius, cujus Glossas neque integras habemus, neque semper fide dignas.

BONAVENTURA VULCANIUS

ad Callimach. *Hymn. in Dian.* vs. 10.

Hesychius, cujus Lexicon pro thesauro Linguae Graecae duco.

IDEM

TESTIMONIA.

IDEM *in J. Meurſii Gloſſarium.*

Οὐ ἅπᾳ Ἡσυχίου παρῶν τόδ' ἐ κεφαλητίς·
Οὐδ' ἅπᾳ Ἡσυχίου τῆδ' παλαιᾶν πίλε[ῖ].

ISAACUS CASAUBONUS

ad Diogen. Laërtium, in *Notis* ad L. II. (Ἀρίστιππος) p. 41.

Heſychius Ὀλόχαυτα, ἐξύχαυτα interpretatur; quem qui reprehendunt, non tam ipſum, Grammaticum diligentiſſimum, quam eos Authores, qui ita uſurparant, culpant.

IDEM ad Sueton. L. I. c. I. p. 5.

Heſychii, doctiſſimi Graecorum Critici, Notam ſaepe miratus ſum: Καισάρια, ἔκκαισαρίαμαι. An dicemus vocem veteris Graeciae eſſe καισάρεα? an fallitur ille in vocibus Latinae *caeſaries* interpretatione? Poteſt & Syriaca vox eſſe, ut aliae multae in eo Authore. &c.

IDEM *Lection. Theocritic.* cap. III. p. 247.

Solet ille Grammaticus (Heſychius) difficiles quoſque locos principum Poëtarum in ſuos commentarios transferre & explicare. &c.

IDEM *Animadv.* in Athenaeum, L. I. c. IX. p. 31.

Doctiſſimum illum Grammaticum (Heſychium) ſcimus fuiſſe Chriſtianum, contrà quam fit quibuſdam viſum. &c.

Ibid. l. VII. c. XI.

Heſychius, Gloſſographorum longe princeps.

Ibid. l. V. c. IX. p. 357.

Saepiſſime obſervavimus, in doctiſſimis illis Gloſſis (Heſychii) confuſas eſſe duarum affinium vocum interpretationes.

IDEM in *Epiſtol.* 198. (*Ed. Graev.* 1656. 4.)

Equidem ita ſemper judicavi, omnium veterum Criticorum, qui hodie extant, eruditiſſimum illum eſſe. (*Ep.* 204. *Ed. Almelov.*)

IDEM *Epiſt.* 265. (310.)

Heſychius, omnium veterum Criticorum, quos habemus hodie, longè, ſi quid judico, doctiſſimus, & ſerio Graecantibus apprime utilis. [*Ibidem* ſaepius.]

DAN. HEINSIUS.

in Literis ad Putſchium datis A. 1603.

In Heſychio locos quingentos reſtitui, & quotidie numerum augeo, cum per gravidam licet.

IDEM ad Silium Ital. l. 119. p. 338.

Τάμνω reddit Heſychius συντίθεμαι, non quod τάμνω per ſe quid tale deſignet: nugae enim merae; ſed quod id ſit in loco illo, ubi cum ἔγω jungitur, ut *Iliad.* r. non ſemel, quem locum reſpicit Grammaticus ille. Quae monemus, ut ſciant alii quando rudiores, quomodo cum fructu in eximio illo Graecae linguae Prytaneo verſari debeant; quod multos fallit ſaepenumero. Sed de hoc commodius alias aliquando, ut ſperamus.

IDEM *in Lect. Theocrit.* p. 349.

Heſychius, priuſquam exſectus eſſet † ἄνδρα a crudelibus Grammaticis, &c. (Conf. p. ſeq.)

TESTIMONIA

Ibid. p. 377.

Puer admodum ante aliquot annos — — aliquamdiu cum graviſſimo languore luctatus in aedes paternas me ſubduxeram, ubi pleraque in *Theocritum* notabam, totum *Athenaeum* & *Suidam* percurrebam, multiſque locis juvabam; *Heſychium* autem, mendis infinitis corruptum, ſupplebam emendabamque, ut alibi a morbo quieſcerem.

IDEM *Not.* in Horat. p. 51. (Ed. 1612.)

Male Epitomator Heſychii: Ἀπορρῆξις. &c. quod eſt falſum. Eſt enim ipſa mutilatio. Talia multa ſunt aut a mala manu in doctiſſimo Auctore iſto, aut defecta. Quod, ſi Deus volet, aliquando in Editione ejus oſtendemus.

IDEM *Introduct. in Heſiodi Opera & Dies*, c. 6. p. 225. (Ed. 1613.)

Antiquarum omnium Gloſſarum Epitomator, earum praeſertim, quae ad Homerum ſpectant, Heſychius.

Ibid. c. 12. p. 247.

Totum Grammatici illius Lexicon, nihil praeter Gloſſas Auctorum continet.

IDEM, *in Prolegom.* ad *Ariſtarchum S.* pag. 663.

Ex Interpretum Theologorum Commentariis —— Heſychius, qui plenus talium, deſcripſerat. —— Ante plures annos adoleſcentes admodum Scriptorem illum emendavimus, vera ac legitima ab alienis ac ſpuriis diſtinximus. [*Joſ. Scaligero* haud dubie auctore, ait Fabricius *Bibl. Gr. Vol.* IV. p. 550.]

In *Ariſtarcho S.* p. 704. *Ed. in fol.* A. 1639. (in 8. A. 1627. p. 9.)

Heſychius, in quo non Graeciae totius modo, ſed ex parte & Orientis eruditio concluſa jacet.

Ibid. Pag. 706. (14.)

Mirae [*al.* ſummae] ac profundae eruditionis Grammaticus Heſychius.

Pag. 708. (18.)

Abyſſus eruditionis veteris Grammaticus Heſychius. [Locum hunc deſcripſit Sixt. Amama *Antibarb. Bibl.* IV. 8. p. 640.]

Pag. 713. (29.)

Heſychius, qui plurimis in locis Sacros erudite Codices interpretatur.

Pag. 753. (116.)

Heſychius, non levis auctor; cujus certe Gloſſae maxima ex parte, quod in eo locis infinitis obſervavimus, ad explicandos Helleniſtas, ac praecipue τὰς Ἑβδομήκοντα, videntur comparatae.

Pag. 865. (330. ubi paullo aliter.)

Heſychius doctiſſimus Auctor, qui & nonnunquam voces Orientis ex eruditorum hominum ſententia interpretatur.

Pag. 874. (350.)

Eruditiſſimae, quae Heſychio aſcribuntur, Gloſſae, & quae magna ſui parte, quod in noſtris ad Auctorem illum emendationibus non raro obſervamus, Helleniſticas exponunt voces.

Pag. 915. (440.)

Heſychius, qui plurimas non Foederis antiqui tantum, ſed & quaſdam Novi Gloſſas conſervavit.

Pag. 935. (484.)

Heſychius, qui univerſae nobis Graeciae deperditae theſauros reliquit.

Pag. 938. (488.)

Doctiſſimus Heſychius, eruditiſſime, ut omnia. [Ita vero paſſim. Vid. p. 957. & mox.]

IDEM

TESTIMONIA.

IDEM *in Exercitat. S. in Nov. Teſt.* Pag. 98.

In quo Auctore (Heſychio) emendando, niſi qui varia Linguarum cognitione inſtructus accedat, fruſtra ſit neceſſe eſt.

Ibid. pag. 121.

Graecae eruditionis princeps Heſychius.

Pag. 123.

Fundus eruditionis Heſychius.

Pag. 144.

Erudite, ut omnia, Heſychius. [Similiter *pag.* 278. 389. 416. 481. 500. &c.]

Pag. 152.

Eruditionis Graecae fons, Heſychius. [conf. p. 444.]

Pag. 282.

Norma interpretandi Veteres, Heſychius. [conf. p. 286. 458.]

Pag. 288.

Doctiſſimus Interpretum (Graecorum) Heſychius. [Sic & p. 467. 468. 581.]

Pag. 316.

Princeps eruditionis antiquae, Heſychius.

Pag. 388.

Eruditiſſimus Veterum Heſychius.

Pag. 475.

Qui non ſemel Helleniſtas interpretatur, Heſychius.

Pag. 479.

Heſychius, in cujus Gloſſis non pauca ſunt, quae Helleniſtas interpretantur.

Pag. 502.

Quis eruditior in iſtis Heſychio?

Pag. 527.

Optimus Auctor, & a quo magna lux Antiquitati, Heſychius.

GOTHOFR. JUNGERMANNUS ad Pollucis *Onomaſt.* p. 12. (*nov. Ed.*) n. 13.

Et quando tandem Clar. noſter *Heinſius* Heſychium dabit illuſtratum? ἔχ', ἔχ' ὦ φίλ' ἥλιε. Sed —— ——

IDEM *ibid.* p. 421. n. 36.

O *Heynſiane* Sol, quanto exoreris bono Heſychii noſtri! Nos in his tenebris palpamus ſaltem: & tu tamdiu ſinis?

Ibid. p. 451. n. 6.

Peſſimum facinus fecit, quiſquis ille fuit, qui ſuſtulit auctoritates rariſſimas, quibus Heſychium ſubinde uſum fuiſſe patet.

Ibid. p. 753. n. 71.

Diligentiſſimus Gloſſatorum Heſychius. [Conf. p. 532. n. 52.]

Ibid. p. 1239. n. 24.

Optimus Gloſſatorum Heſychius —— alia immiſcet ἀναλήμματα paſſim.

TESTIMONIA.

JANUS RUTGERSIUS

Var. Lect. L. VI p. 561. (A. 1618.)

Vox in alienum locum tranſlata eſt; quod infinitis locis apud Gloſſographos eſt factum. In *Heſychio* quidem, omnium principe, id non raro contigiſſe, *Daniel Heinſius* noſter probare poſſet, niſi illum & occaſio, & ipſius genius, ad alia jam ſtudia vocaſſet.

CLAUD. SARRAVIUS

Epiſt. XIII. Alex. Moro, A. 1639. (p. 19. *Ed. Burm.*)

Ante quadraginta annos ille *Heinſius*, magnae tunc, quam non implevit, ſpei adoleſcens, totum ſe eſſe praedicabat in *Heſychio* adornando: ejuſque editionem, ut opus confectum putares, proxime ſequentibus ſcilicet nundinis, ut moris erat, pollicebatur. Credibile eſt illum eam provinciam *Nicolao* filio dudum demandaſſe. Sed nunc hic tantum cogitat de Ovidio emaculando: itaque occupa. Dignus enim Grammaticorum ille Juppiter, in quo tua deſudet induſtria: tum quia multa habet peregrina, quae non ſunt cuivis obvia; tum quia tot tantiſque ſcatet lectionum monſtris, ut in his debellandis non poſſis exiſtimare operam tuam male poſitam. Omnes certe linguae Graecae ſtudioſos iſto labore tibi devinxeris.

IDEM *Epiſt.* 235. p. 233.

Accuratus Graeci ſermonis interpres Heſychius.

JO. MEURSIUS

Miſcell. Lacon. l. 12. p. 57. (1661.)

Sed Heſychium, virum omnis antiquitatis peritiſſimum, quique ſuos ſine dubio Auctores habuit, quos ſecutus ſic exponit, minime damnandum puto.

Ibid. c. 13. p. 61.

Eſtque ea gloſſa certe ab indocto quodam inſita; qui, in locum cum corruptum incidiſſet, minime mendum animadvertit. Nam, hoc ab Heſychio eſſe uti credam, ſingularis ejus viri eruditio non permittit. Et profecto, praeſtantiſſimo iſti Lexico, quod antiquae eruditionis penu, quaedam paſſim inſerta eſſe ab indoctis, ſatis Viri docti norunt. [Conf. III. 8. p. 230. Paſſim alibi de Heſychio.]

PHIL. JAC. MAUSSACUS

ad Plutarch. *de Fluviis*, p. 1150. *Not.* p. 60.

Heſychius, Graecorum Magiſtrorum probatiſſimus.

Ibid. p. 60. ad p. 1155.

Heſychius Grammaticorum princeps.

IDEM ad Ariſtot. *de Animal.* p. 1241. (Ed. 1619.

Princeps Grammaticorum Heſychius. — — Nihil niſi divinum ab illo Grammatico profertur.

IDEM in *Diſſert. Critica* ad Harpocration. p. 390.

Quis ignorat in Heſychii praeſertim & Etymologi operibus innumeras Gloſſas contineri? — — Heſychius ὁ πάνυ in hoc ſcribendi genere, praeter multa parum uſitata, aut prorſus inuſitata verba ex Poëtis, & aliis Scriptoribus eruta & deprompta, γλωσσηματικὰ multa habet, non tantum Laconica, Argiva, Arcadica, Boeotica, Cretenſia, Salaminia, Macedonica, Theſſalica, Tarentina, Syracuſana, Sicula, Pamphyliaca, & ejus generis innumera; ſed etiam AEgyptiaca, Perſica, Lydia, Scythica, Celtica, Hebraea, Chaldaica, Phrygia, Barbara, aliarumque Gentium vocabula, quae nihil commercii habent cum lingua Graeca; immo ei barbara ſunt. &c. [Gemina ſupra dedi ex H. Steph. *Praef. ad Indic. Theſ.*]

Ibid. p. 391.

Innumera ex Heſychio depromere poſſem, ut probarem, integros illum Veterum Γλωσσογράφων libros in Lexicon ſuum tranſfudiſſe.

IDEM

IDEM ad Harpocrat. v. Ἐπίδικος.

Repetiit bonorum & malorum conſarcinator Suidas; imò quod mirere magis, Grammaticorum κριθοκάπηλος. Heſychius quid ſimile nos docet.

MATTHIAS MARTINIUS

in *Praefat. Cadmi Graeco-Phoenicis*, §. 9.

In Heſychii, eruditiſſimi ſane Grammatici, Lexico multa leges, quae Graecis literis ſcripta non ſunt Graeca: forte uſurpata ab iis Graecis, qui Syriae, Dalmatiae, Italiae, aut Germaniae viciniores erant. Nam conterminorum populorum ſermo, per omnes terrarum tractus, eſt miſcellaneus. Et vulgo notum eſt, olim *Graeciae Magnae* nomine juſtam Italiae partem fuiſſe appellatam. Vid. in Etymol. Lat. v. *Graecus*.

ANDR. SCHOTTUS

Adag. Sacr. p. 129. *Ed. Antv.* 1629. 4.

Heſychius Lexicographus antiquus, ſed valde depravatus.

EUSTATH. SWARTIUS

Analect. I. 1. p. 2.

Heſychius omnium ſui generis eruditione praecipuus, ſed Gloſſographus potius quam Linguae Ariſtarchus.

JOAN. RHODIUS

de *Acia* Celſi, c. 5. p. 30. *Ed. Patav.*

Doctiſſimus inter Graecos Criticorum Heſychius. [*Ita paſſim omnes. Vid.* J. Rutgers. *Var. Lect.* I. 17. J. Vlit. ad Grat. *Cyneg.* vſ. 220. J. Bois. *Collat. Vet. Int. cum Beza* &c. p. 408. Cameron. *Myrothec.* ad I. Petr. V. 4. Alex. Mori *Axiom. Theol.* I. p. 422. &c. &c.]

CLAUD. SALMASIUS

ad Flav. Vopiſc. D. Aurelian. c. 46. p. 563. (*Tom.* II. *Ed.* in 8.)

Multas Latinas gloſſulas habet ille doctiſſimus Grammaticus (Heſychius) quas cum Graecis confundit, non admonito, cui dialecto vel idiomati debeantur; quod faepe impoſuit doctiſſimis hominibus.

IDEM *Exercit. Plin.* in Solin. p. 75. (*nov. Ed.*)

Heſychius voces Latinas interdum inſerit Lexico ſuo.

Ibid. p. 291.

Heſychius Gloſſographorum optimus. [*Paſſim de eo in aliis libris agit.*]

CASPAR. BARTHIUS

ad Claudian. p. 1102.

Heſychio qui teſtimonia veterum Auctorum exſecuit, piaculum inexpiabile fecit: plurima enim bonorum Scriptorum loca paucis verbis illuſtrat doctiſſimus omnium Grammaticorum, quae niſi coram Gloſſis ſuis videas, vix ſentias quam ſint erudita.

IDEM *Adverſar.* L. XLII. c. 26. p. 1918.

Pleroſque difficiliores veterum Poëtarum locos enarrat omnium qui ad nos veteres venerunt doctiſſimus Grammaticus Heſychius. Sed ingenti eruditione opus eſt ut interpretem ipſum capiamus, quoniam peſſimo alicujus ſelis librariae facinore teſtimonia Scriptorum Lexico illi demta ſunt. — — — Metuo ne ultima vox earum Heſychii ut gloſſema poſterioris aevi ejicienda ſit, ut plurimae inſunt luculento operi, quas nullo negotio per paginas ſingulas deprehendas.

TESTIMONIA.

NICOL. FULLER.

Miscellan. Sacr. L. IV. c. 20. p. 559. (Ed. 1650. 8.)

Liquido apparet, Hesychium à Procopio mutuatum, — — quemadmodum & alia sexcenta ejusmodi, vel à Sacris vel ab Ecclesiasticis Scriptoribus sumpta interpretamenta, eum in Lexicon suum accuratissimum transtulisse, eruditis compertum, imò ne ipsis quidem Antipodibus prorsus incognitum opinor. &c.

FRANC. COMBEFISIUS

in *Onomast.* ad S. Andream Cretens. v. Θήν, p. 381. (*Ed. Paris.* 1644. *fol.*)

Hesychius infercitus peregrinis vocibus.

THOM. REINESIUS

Variar. Lection. III. p. 636.

Observamus in Hesychio multa Germanis vernacula vocabula. &c. [Conf. p. 306.]

GODEFRID. SOPINGIUS

ad Isaac. Pontanum Epist. 169. *Ed. A. Matthaei.*

In Hesychio nostro quaedam Celtica vocabula olim offendi, quae data occasione colligam, & tibi mittam.

MERICUS CASAUBONUS

De Ling. Anglica vetere, sive *Saxonica*, p. 229. (*Lond.* 1650. 8.)

Monendus, Lector, in Hesychii Lexico Gr. passim reperiri verba, non alibi apud Graecos qui nunc extant reperienda, quae vel plane sunt Anglica, aut ad Anglica tam propè accedunt, ut ejusdem meritò censeantur originis & prosapiae. Quae quidem verba, quia incertum erat, an Hesychius pro genuinis Graecis, sed jam rarioribus & obsoletis, qualia in illo plurima; an verò pro barbaris, qualibus item refertam esse istam farraginem, veriſſimè Doctorum pridem non unus observarit, exhiberet: &c. [*Sequitur alphabetica ejusmodi vocabulorum series.*]

DIONYS. VOSSIUS

ad Jul. Caesar. *de Bell. Gall.* p. 3.

Sed notandum familiare illi Grammatico (Hesychio) esse, haustas ex S. Scripturae Interpretibus, Aquila, Symmacho, aliis, voces decerpere.

JO. PEARSON

Praefat. Paraenet. ad Versionem τῶν LXX.

Hesychius, quem nemo nisi in Senioribus versatissimus unquam intelliget. — — *Ibid.* Vocibus Laconicis scatet.

IDEM *Vindic. Ignat.* P. II. c. 14. p. 431. b.

Illa verba Hesychii, ut alia complura, ex veteri Lexico transscripta sunt, quo continebantur Nomina propria Novi Testamenti, ad Hebraicas origines satis inepte relata.

JAC. PALMERIUS a GRENTEMESNIL

Exercitat. in opt. Auct. Gr. p. 526.

In tota Graecanica literatura nullus Auctor magis corruptus est, & tantis scatet erroribus, quam Hesychius: & quamvis Athenaei codices in multis locis mendosi deprehendantur, non verebor dicere Hesychium in una pagina plures errores habere, quam

quam Athenaeus in quatuor. Ideo ex eo non ſemper ſecurum eſt antiquiores Auctores emendare.

JO. CASP. SUICERUS

in *Obſerv. S.* p. 139. (*Tig.* 1665. 4.)

Heſychius, Grammaticorum facilè princeps, & medica manu digniſſimus; quam etiam, ſiquidem vitae necisque viſum fuerit arbitro, experietur.

Ibid. p. 148.

Grammaticorum coryphaeus, Heſychius.

JAC. MOSANT. BRIOSIUS

Epiſt. ad Steph. Le Moine, p. 190. (*Ed. Cadom.* 1670. 8.)

Ob id maximè Heſychius magni fit, quod in illius libro recondita, & quaſi è fundo Antiquitatis eruta vocabula, ceu ſcrinioło erutae è fundo maris gemmulae aſſervantur. [Vide & p. 231.]

JO. CAMERON

Myrothec. ad *Hebr.* IV. 3.

Heſychius princeps Grammaticorum.

TANAQ. FABER

ad Anacreont. p. 117. (*Ed. Salm.* 1660.)

Monendum arbitror, multos olim Heſychii purpurae ſuos pannos aufos fuiſſe aſſuere, & optima quaeque corrupiſſe, aliquando etiam detraxiſſe. Idque ita eſſe vel hinc facile intelligas, quod in Praefatione operis id ſe facturum pollicetur, quod ratio praeſtitit. Sciunt Docti quid velim. de Proverbiorum explicatione loquor. Addam & hoc monitum, reperiri in illo pretioſiſſimo Helleniſmi theſauro carbones ex Graeco vulgari, quod hodie Ῥωμαϊκὸν vocant. [Conf. Salmaſ. *Not.* ad Heſych. v. Ἀκατίῳ.]

IDEM L. I. *Epiſt.* 39. p. 108. (Ed. Salm. 1674.)

Heſychium, doctiſſimum illum Grammaticum, & cujus liber pro theſauro eruditis eſſe debet, &c. [Plura ex ejus L. II. dedi ad *Praefat. Heſychii.*]

JO. PRICAEUS

in D. Luc. *Euang.* c. XXIV. 22.

Sciunt qui Vocabuliſtam eum (Heſychium) triverunt, quot numero Novi Teſt. ſit, eius interpretetur.

IDEM in D. JACOB. *Epiſt.* c. I. 17.

Heſychius, quo nullus frequentior in verbis phraſibuſque N. T. exponendis.

THOM. BARTHOLINUS

de Cruce, p. 148.

Heſychius accuratior vocum antiquarum exactor.

J. A. VAN DER LINDEN

in Select. Medic. Exercit. X. §. 123.

Heſychianae Gloſſae, omnium quae ad nos Veterum venerunt doctiſſimae.

TESTIMONIA.

JOACHIM. KUHNIUS

ad Polluc. VII. 13. *Segm.* 48. p. 720. n. 4.

Solet vero Hesychius non respuere sui temporis idiotismos, ut notum est.

BALTHAS. STOLBERGIUS

in *Exercitat. Gr. L.* sive *de Angariis Veter.* §. 1. p. 152. (*Ed. Schurzfleisch.* 1688. 4.)

Est quidem Scriptor ille (Hesychius) Vir verè πολυμαθέστατος, & undecunque doctissimus; cujus Lexicon antiquae eruditionis penu rectè appellat Eruditissimus Meursius. Verum, quod dolendum utique est, ex omnibus, quorum ad nos pervenerunt literarum monumenta, nullum extat, quod à vetustate pejus sit acceptum turpiusque depravatum. &c. [Conf. §. 3. p. 154.]

THOM. GALE

Not. ad Demetr. Phaler. p. 242. (*Ed. Oxon.* 1676.)

Apud Hesychium in litera Γ, vocabula quam plurima praefixum habent Digamma AEolicum (F) etsi ibi simplex sit Γ.

EZECH. SPANHEMIUS

ad Callimach. *H. in Dian.* vs. 165. p. 245.

Hesychius, qui ut solet ad Poëtarum Glossas, ita ad hunc Callimachi locum procul dubio respexit. — — Erudite Hesychius, ut solet. [p. 212.]

IDEM *de Praest. & Usu Numism. Tom.* I. p. 233. *Ed. maj.*

Certe majora lectionum portenta in optimum Auctorem (Hesychium) irrepsisse, vel ea, quae postremo prodiit ejus apud Batavos editio, satis evincit, & quae longe plura adhuc in eodem restant emaculanda: cujus rei luculenta liceret hic mihi dare specimina, qui aliquam operam in emendatione Grammaticorum Coryphaei etiam vix adolescens olim posueram, favente tum his conatibus eosdemque promovente magno *Salmasio.*

Ibid. p. 316.

Magnae accurationis Grammaticus, Hesychius.

THOM. STANLEJUS

in AEschyl. *Pers.* vs. 820. p. 778.

Hesychius, optimus Homeri Interpres. *Ibid.* generalem omnium Poëtarum Scholiasten, eum vocat.

Ibid. in *Agamemn.* vs. 235. p. 790.

Literarum ordinis observantissimus Hesychius.

ABRAH. BERKELIUS

ad Steph. Byzant. v. Ἀσεία, p. 39.

Hesychius, qui se passim in oppidorum situ & nominibus imperitum prodit.

STEPH. LE MOINE

ad Barnabae *Epist.* in *Var. S.* p. 866. T. II.

Quod ab illis habuit Hesychius, vel Origenes, cujus Lexicon insertum Lexico Hesychiano, ut hoc perfectius & magis completum redderet. [Vid. & p. 92.]

IDEM

TESTIMONIA.

IDEM in *Differt.* ad Jerem. XXIII. 6. p. 54.

Quae apud Hefychium, *Ethnicum* Lexicographum, irrepſerunt, ut & innumerae aliae vocabulorum Eccleſiaſticorum interpretationes, ex Lexico vetuſtiſſimo, quod ad illorum elucidationem adornaverat Origenes.

JO. HENR. HOTTINGERUS

Theſaur. Philolog. I. 1. p. 16.

Heſychius, Lexicographus Graecus, Chriſtianus, πλλῶν ἀνδρῶν ἄλλων, &c.

JO. BRAUNIUS

Select. Sacr. p. 412.

Eruditiſſimus Heſychius, in linguis & ſcientiis Orieotalium non mediocriter verſatus.

PETR. KEUCHENIUS

Annotat. in N. T. (Ed. Amſt. 1689. 4.) in *Praefat.* ſub fin.

Adjunxi imprimis Heſychii Lexicon, non tantum quia antiquitate ſua plurimis aliis Lexicis Graecis praeſtat; verum etiam quia ſaepiſſime dictiones Hebraicas & LXX. Interpretibus uſitatas accurate exponit.

Ibid. ad Matth. I. 19. p. 5.

Heſychius in Lexico ſuo nunquam ſatis laudato.

ANTON. VAN DALE

Diſſertat. de Divinat. p. 651.

Notandum eſt, Heſychium (cujus Lexicon vere eruditionis Graecae penu eſt) non tam vulgares vocum ſignificationes, quam quidem eas, quae rariores magiſque inſolitae ſunt, tradere; ot ſic Lexicon ejus quaſi commentarius in Poëtas & alios Scriptores magis obſcuros, aut antiquos, ab eruditis recte habeatur.

JOAN. MILLIUS

in *Prolegom. ad N. T.* §. 1040. p. 102.

In Heſychii Vocabulario cum occurrant explicationes plus 360. petitae ex Scholiis Interlinearibus aut marginalibus Exemplarium N. T., ſeu etiam Lexicis, quae tunc exſtabant Scripturariis, &c.

RICHARD. BENTLEJUS.

in *Epiſt. ad Jo. Millium*, ad calcem *Chronographiae* J. Malelae, p. 34. (*Ed. Oxon.* 1691.)

Dum enim (Heſychius) ex antiquis Scholiaſtis, Grammaticis, Lexicis, quae non contexebaotur κατὰ στοιχεῖον, omni ex parte vocabula corradit, quibus hanc ſuam Συναγωγὴν locupletet & referciat; ſaepe uſu venit, ut ab imperitis Librariis, qui parum accurate ſcripſeraot, vel a ſui ſimilibus Ὁμοιοτελεύτοις in errorem inductus ſit, quaeque nuſquam geotium vel lecta vel audita ſunt, lectoribus ſuis obtrudat.

Ibid. p. 38.

Oportet ut conniventibus oculis haec legerit Heſychius.

TESTIMONIA.

Ibid. p. 39.

Quem errorem (ζ pro ξ) millies erraviſſe eum, ſi hic locus eſſet, nunc poſſem oſtendere. —— —— Habeo alia ſexcenta, quae hac vice condonabitur. Verum hercle ſi unquam uſus fuerit, ut nova Heſychii editio procuretur; qui ut in pudendos errores crebro inciderit, utiliſſimus nihilominus & pene neceſſarius eſt omnibus, qui ad veram eruditionem viam affectant:

Id tibi de plano poſſum promittere, *Milli*,

quinque plus minus millia meridorum me correcturum eſſe, ſi libuerit; quae aliorum ὑπερχέιρα & laborioſam diligentiam hactenus eluſerunt.

Ibid. p. 48.

Sed profecto, non ea eſt Heſychii auctoritas; neque plus habet momenti, quam Clementis & Porphyrii, hominum multis partibus illo doctiorum.

Ibid. p. 55.

Illud alterum Heſychii peccatum eſt ſcutica dignum. Quicunque fuerit *interfector* ille *ſtultorum*, [Vid. Heſych. v. Ἀϊδεσφᾶϊκ] homo ſane metuendus ſine dubio trucidaſſet Heſychium, ſi occaſionem hanc nactus fuiſſet. *Et paullo poſt:* —— Barbariam tuam ulciſcar, mi Heſychi.

Ibid. p. 65.

Antiquum obtinuit (Heſychius) cum depravatum illud protulit ex aliorum fide, nihil ipſe ſuſpicans vel ſollicitus.

Ibid. p. 93.

Heſychius, ut videtur, non leviter tum lippiebat.

IDEM ad Callimachi *Fragment.* p. 358.

Solus enim hoc prodidit Heſychius; autor exigua fide, quique ex mendoſis Codicibus infinita deſumſit.

LUDOLPH. KUSTERUS

ad Suid. T. I. p. 182.

Quod ad Heſychium adtinet; is ſane, ut omnibus conſtat, multas voces ſpurias & adulterinas Lexico ſuo inſeruit, vel ipſe vitioſis Codicibus uſus, vel aliorum Lexicographorum, quibus corrupti libri impoſuerant, auctoritatem ſecutus.

Ibid. T. II. p. 361.

Quis enim neſcit, Grammaticum iſtum (Heſychium) plurimas voces ſpurias & corruptas alba, quod ajunt, linea in farraginem ſuam retuliſſe: adeo ut non videam, quomodo ei ulla fides haberi poſſit, cum quid affirmat, cui uſus & auctoritas meliorum Scriptorum Veterum manifeſte repugnant. *

* Mitius de *Suida* ſuo Kuſterus *Tom.* II. p. 24. *Alius poſtea —— ad marginem adſcripſit; quae deinde ab imperitis hominibus loco prorſus alieno in textum recepta fuerunt. Idem de aliis locis* Suidae, *ſimili modo turbatis, dictum eſto:* NB. *abſit enim, ut in ipſum Suidam hujus rei culpam conferamus.* Et de ipſo Heſychio, ad v. Εὔπνους, p. 1501. *Nullum, fateor, exemplum compoſiti hujus apud Scriptores hodie exſtantes inveni; ſed* NB. *potuit* Heſychius *ſuos habuiſſe Auctores nobis ignotos.* &c. Idem ad Suid. v. Λαῖμα, T. II. p. 420. *Non puto temere eſſe rejiciendum, quamvis ſit vox inſolens, & quae forſan nuſquam alibi reperiatur. Nam multa paſſim apud Veteres Scriptores occurrunt ἅπαξ λεγόμενα, de quorum ſignificatione & etymologia veteribus Grammaticis ſimpliciter credendum eſt.*

IDEM

TESTIMONIA.

IDEM in *Diatrib. Anti-Gronovian.* p. 16. (*Ed.* 1712.)

Vel dici etiam poteſt, Heſychium ipſum (qui eodem, imò majore ſtupore, quàm Suidas, tam recta, quam prava, in Lexicon ſuum congeſſit) gloſſam hanc mendoſam ex alio Lexico deſcripſiſſe, &c.

Ibid. p. 32.

Non infrequenter Grammaticus ille (Heſychius) eaſdem voces duobus, tribuſve, vel pluribus in locis diverſâ facie & forma exhibet: ex quibus plerumque una tantùm forma recta eſt, & vera; reliquae adulterinae.

Ibid. p. 35.

Heſychius *hîc* miro ſtupore —— confudit —— Solenne nimirum eſt Heſychio, verba *duo* vel plura ſimilis ſoni hoc modo inter ſe confundere, & uni ex illis reliquorum ſignificationes etiam tribuere. &c. [Conf. ad Suid. T. II. p. 79.]

Ibid. p. 49.

Heſychius —— ut eſt mirus verborum transformator.

LAURENT. NORRMANNUS

Not. ad Ariſtid. *Orat.* κατὰ τῶν Ἐξοχυμ. p. 155. (*Ed. Lipſ.* 1715. 8.)

Solet enim doctiſſimus ille Grammaticus (Heſychius) Homeri τὰ ἅπαξ εἰρημένα Gloſſemaſi ſuis ſaepe numero infercire.

LAMBERTUS BOS

Obſervat. Critic. cap. 36. p. 152.

Quam ſit corruptum Heſychii Lexicon inſigne & eruditionis plenum, ſatis experiuntur illi, qui quotidie id verſant. A mendis autem ſuis illud omnino liberare atque purgare, hoc opus, hic labor erit. &c.

Ibid. p. 154.

Saepe Heſychius unum verbum ex Poëta ponit, & ſimul totam phraſin explicat. Hinc patet, quantae ſit utilitatis uti hoc Lexicographo ad Auctores Graecos explicandos, utpote qui optime ad ſenſum Auctorum vocabula exponat.

Ibid. p. 155.

Heſychius ſaepe, cum varias vocibus aſſignat ſignificationes, non habet accentuum, ut neque ſpirituum rationem.

Ibid. p. 188.

Solet enim Heſychius aliquando ex Poëtis veteribus explicare epitheta, iiſque expoſitis addere ſubſtantiva illa, quibus junguntur. [Vid. *Not.* ad v. Ἀχάμαν, p. 594.]

TIBERIUS HEMSTERHUIS

ad Polluc. L. VII. p. 803. n. 4.

Eum qui mediocrem in Heſychio operam poſuit, latere nequit, malo ſaepiſſime exemplo, alteram duarum vocum ſimilis pronuntiationis excidiſſe, additamque expoſitionem prioribus eſſe conjunctam.

Ibid. p. 839. n. 83.

Nullus Auctor pejus Heſychio a librariis eſt habitus.

Ibid. ad L. X. p. 1184. n. 54

Heſychius, utcunque diligentiſſimus, in ſimilium vel ſono, vel ſcribendi forma literarum permutatione creberrime commiſiſſe vitia deprehenditur. Pluribus id demonſtratum ivit Eruditiſſimus *Bentlejus Epiſtola* Malalae ſubjecta: ſed illud tamen quodcunque culpae in notarium, quo fuit forſitan in excerpendis vocibus uſus, rejiciendum exiſtimo: potius id ſane, quam ut hominem in pervolvendis Veterum monumentis diligentiſſimum pueriliter erraſſe concedamus.

IDEM in *Addendis ad loc. cit.*

Putabam aliqua ratione Heſychium ejuſque errores excuſari poſſe, ſi culpae non minima pars in ejus conferretur notarium, quo forte in colligendis vocibus & excerpendis fuerat uſus: ſed res incommodo cecidit, ſiquidem hanc ipſe defenſionem Heſychius infirmet; jactat enim in *Prologo*, propria ſe manu totum illud Lexicon deſcripſiſſe, & in ordinem digeſſiſſe; quod cum a nobis credi par ſit, non indigne feret Heſychius, ut cum Eruditiſſimis hominibus etiam credamus, ejus imperitiae errores pleroſque aſſignandos eſſe, qui in iſto deprehenduntur Lexico. * Gratiam vero a re literaria maximam iniret, ſi quis Heſychii recentaret editionem; cujus quidem ſpem nobis non penitus incertam fecit Vir Eruditiſſimus *Lud. Kuſterus*, dummodo non alia negotia, quod nolim, ab hoc eum conſilio revocent.

IDEM ad Polluc. L. X. p. 1351. n. 27.

Etſi re vera ſaepius in ipſum Heſychium mendarum origo rejicienda videatur, tamen ne ſic quidem negari nequit, plura apud eum extare vocabula, quorum nos cognitio perfecta effugit, quaeque adeo non ſine validis rationibus immutari velim.

JO. ALB. FABRICIUS

in *Dedicat. Tomi* V. *Bibliotb. Lat. Mediae & infim. aetat.*

In quo, (Gloſſario Heſychiano) *theſauro* non *libro*, notum eſt quae opes Graeciae lateant, quae lux Sacris etiam Scriptoribus Novi Teſtamenti, & LXX. Interpretibus in illo afferatur. [Plura vid. infra.]

J. P. D' ORVILLE

in *Miſcell. Obſerv. Vol.* II. p. 363.

At ille (Heſychius) ſolet verba iiſdem temporibus, caſibus, flexionibus caeteris proferre, quibus apud Auctores leguntur.

JO. CORN. DE PAUW

Diatrib. de Alea Veterum, p. 52.

Multa Grammaticus iſte egregius vel ipſe ſcripſit, vel ab aliis deſumſit & in uſus ſuos convertit, quae plane inepta ſunt, & a nemine, cui cor recte ſalit, probari poſſunt.

IDEM ad Philen, p. 52. 53.

Optimus Grammaticorum Heſychius — — ut notum, ex Locis & Libris diverſis ſua deſcripſit. &c.

Ibid. p. 76.

Illud —— cum interpretamento ſuo in locum alienum involavit, ut alia ſexcenta apud Lexicographum.

Et haec quidem ex infinitis Teſtimoniis ſuffecerint. Nam (ut verbis utar Cel. J. A. Fabricii Bibl. Gr. *Vol. IV. p. 547.)* „ *quis omnia eruditorum hominum encomia atque laudes, quibus Heſychium noſtrum paſſim proſequuntur, ex eorum ſcriptis velit colligere, aut ſi velit, propter multitudinem atque frequentiam facile poſſit?* „ —— —— *Addam tamen, coronidis loco, pauca*

* [Conf Cl. Hemſterh. ad Lucian. T. I. *nov. Ed.* p. 314.]

TE-

TESTIMONIA.

TESTIMONIA INEDITA

ex Literis ad me datis,

D. BERNARDI DE MONTFAUCON.

Non ſine voluptate, Vir Doctiſſime, literas tuas legi: video enim non modo te rem ſuſcipere literatis omnibus opportunam, ſed etiam nervos omnes induſtriae huic operi admovere —— A multis jam annis ego peroptaveram, ut ex doctiſſimis Viris quiſpiam Heſychii Lexicon expurgare & Notis illuſtrare aggrederetur. Multa enim in tanti operis decurſu ſunt, quae Editoris & peritiam requirant & diligentiam; utramque vero te apprime aſſequutum eſſe non dubito. &c. —— Heſychiani Lexici nuſquam *Codicem MS.* vidi. ——

FRANCISCI SEVIN

ET

CLAUDII SALLIER.

Feliciter actum eſt cum Heſychio, Vir doctiſſime, quod in manus tuas inciderit curanda hujus ſcriptoris editio. Ut enim de — — — tua taceamus, iis inſtructus ſubſidiis operi manum admoves, ut tanto oneri ferendo ſolus hodie par eſſe videaris. Quae igitur Cl. *Kuſterus* in Heſychium reliquit, magna tecum voluptate communicavimus, noſtra quoque, quantulacunque ſint, libenter adjecturi, ſi per occupationes licuiſſet, &c. — — —

JO. ALB. FABRICII.

Gratulor Heſychio, utiliſſimo Scriptori, quod eum expoliendum in te ſuſcepiſti, &c. — — Longe autem abſum a Cl. *Kuſteri* ſententia, qui *Heſychio* & *Suidae* ſexcentas voces per errorem atque ignorantiam deſcriptas imputat, cum nihil mihi videatur eſſe certius quàm notatas ab illis voces ejuſcemodi merito, quas detortas vel barbaras aliis viſas abjectaſque, uſus tamen aliorum Scriptorum, vel etiam populi alicujus idiotiſmus conſecravit, quas adeo omittere Heſychius pro eruditione ſua neutiquam debuit; eoque nomine ab aequo Lectore ac perito non reprehenſionem meruiſſe cenſuramque, verum, ſi quid judico, gratias & laudes. &c.

TIB. HEMSTERHUSII.

Edendi Heſychii curam a te ſuſceptam maximopere tum tibi, tum omnibus eruditis gratulor: quid enim acceptius, quid ad laudem tuam utilitatemque publicam accommodatius caſtigata Heſychii editione, quam a tot jam annis fruſtra deſideramus? — — — — Quod ad *Heſychium* attinet, ſic exiſtimo, eum ingeniorum non ſolum eſſe cotem, verum etiam lapidem Lydium, qui curam levem ac perfunctoriam aſpernatur, & prono in errores lapſu vindicat, ſed diligentem contra ſeque dignam praeclaris emolumentis remuneratur. Eſt duplex quoddam in eo vitiorum macularumque genus, *unum ſatis in* aperto poſitum, & ad emendandum haud ſanequam perdifficile, ſi quis acceſſerit Graeci ſermonis peritus, veterumque Scriptorum non indiligens, praeſertim poſtquam certos errorum fontes aperuerunt tum parcius jamdudum Eruditi, tum in primis *R. Bentlejus* (quem Criticorum aetatis noſtrae longe principem duco) ejuſque veſtigia ſecutus, *Kuſterus; aliud* paulo reconditius & in obducta pene veſtigia magis abditum, ad quorum cubilia vix penetrare datur, niſi collatis pluribus adjumentis, & ad calculos eoſdem, quantumvis accuratiſſime videantur poſiti, ſaepe redeundo. &c. — — — — Hoc affirmare tibi non vereor, *H. Stephanum* mihi videri valde culpandum, quum tot voces Heſychianas, omni aliorum auctoritate deſtitutas, in *Theſauri Indicem* quaſi genuinas & Graecas inſeruit, * quas nullas unquam Graeca lingua agnovit. Facilis in ejuſmodi vocabulis lapſus, & conjecturae fallaciſſimae, niſi quis ſedulo caverit: hic idem error ſi *Caſaubonum*, ex omni Eruditorum numero conſideratiſſime ſcribentem, implicuerit, quid de aliis, ipſo quinimo *Salmaſio*, cujus in his ſtudiis ut divini ſaepe impetus & prorſus admirabiles, ſic ſaepe praecipites ac caeci, erit exiſtimandum? De *Caſaubono* vero, ſi ſorte probationem requiris, pro me reſpondebit magnus Pear-

* [Vid. Pearſon. *Praefat. ad* LXX. *ſub fin.*]

TESTIMONIA.

Pearſonius *Vind. Ignat.* P. II. p. 431. b. Hoc malum tot dictiones, tot ſignificationes peperit alienas ex Heſychio ſolo, vel corrupto, vel errante, in Graecum ſermonem illatas, ad quas Ariſtophanes, Amerias, & qui alii Gloſſarum veterum ſunt callentiſſimi, obſtupeſcerent. &c. — — — .

DAN. HEINSIUS

in *Codice ſuo* (quod nunc demum in oculos incurrit) alicubi notaverat ſeqq.

Heſychius, Grammaticus doctus mehercule, cujus compendium jam habemus: nec enim clementius cum eo quam cum Feſto actum eſt. Rudera è tam praeclaro aedificio pauca; quae tamen ſupereſſe tam gaudendum, quam deeſſe totum dolendum eſt. Haec quoque nec integra, nec pura, ſed tanquam fex vini puri putique nec pura nec puta; quod fuit tamen aliqua ex parte referens, & Theſaurus non tam Linguae Graecae quam Poëtarum. Multa hic quae emendent Critici relicta ſunt; multa quae emendare non poterunt; multa circa quae laſciviant & in dubium vocent. *Suidae* multa tempus addidit, *Heſychio* detraxit.

MARC. MEIBOMIUS

ad Codicem ſuum in v. Ὁμαύχιμι, pro Ὁμ.

Spiritus literarum initialium ſaepe male in hoc Lexico expreſſi videntur ex imperitia librariorum, qui quum nullos in ſuis libris adpictos reperiſſent, pro lubitu illos adſumſerunt.

ΗΣΥΧΙΟΣ
ΓΡΑΜΜΑΤΙΚΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΥΣ,
ΕΥΛΟΓΙΩ
ΤΩ ΕΤΑΙΡΩ, ΧΑΙΡΕΙΝ.

HESYCHIUS
GRAMMATICUS ALEXANDRINUS,
EULOGIO
SODALI
S. D.

Πολλοὶ μὲν καὶ ἄλλοι τῶν παλαιῶν, τὰς κατὰ φυλὴν συναθείκασι λέξεις, ὧν πάντων ἐμοὶ παρεσκεύασται Εὐλόγιε· ἀλλ' οἱ μὲν, τὰς Ὁμηρικὰς μόνας, ὡς Ἀπίων [1], καὶ Ἀπολλόνιος ὁ τοῦ Ἀρχιβίου [2]· οἱ δὲ, τὰς Κωμικὰς ἰδίᾳ, καὶ τὰς Τραγικὰς, ὡς Θέων [3], καὶ Δίδυμος [4], καὶ ἕτεροι [5] τοιοῦτοι. ὁμοῦ δὲ πά-

Multi quidem & alii Veterum voces secundum ordinem literarum congesserunt, omnium mihi dilectissime EULOGI: sed hi quidem solas Homericas, ut APION, & APOLLONIUS, Archibii filius; illi vero seorsum Comicas & Tragicas, ut THEON, & DIDYMUS, atque ejus generis alii; horum au-

1. Τὰς μὲν ἑπτ.] Multa fera: καὶ ἑπτὰ συναθείκασι τὰς λέξεις· ut paulo post, καὶ ἕκαστον ἑπτὰ συνέθεσαν. Melius hic jungantur καὶ ἑπτὰ συναθείκασι τὰς λέξεις. T. HEMSTERH.

2. Ἐλλόγιε.] Incertus hic, ut ipse Hesychius. Vide quae diximus in Praefatione.

3. Ἀπίων] L. Ἀπίων. Error solennis MStorum Codicum. Est autem AEgyptiacum nomen, sitque ab Ἄπις. TAN. FABER. (Epist. L. II. Ep. 19. p. 57.) Ἀπιάνων MS. Vencl. Hesychii (de quo in Praefat.) & priores Editiones, accepta Hucktana, quae tamen saepius alibi, ut & in ipso Titulo, duplex π admisit: quam lectionem tueri conatur Vir magnus, Henr. Valef. ad Euseb. Hist. Eccl. III. 38. p. 57. a. in eo saltim fallus, quod apud Suidam, qui Ἀπίων scripsit, ex serie literarum Ἀπιάνων scribendum esse contendat. Contrarium putet. Sed & ipse mox in seqq. ab alterna scribendi ratione, per simplex π, minus videtur alienus; quam praeterea etiam Cl. Gronov. ad A. Gell. N. A. V. 14. Utrumque vide, & conf. Ill. Potter. ad Clem. Alexandr. Strom. L. I. c. 21. p. 378. item Not. ad Jnscrip. in Apponem, in princip. Ed. Hov. Fuit Apion Grammaticus AEgyptius, Pisthonicis filius, teste Suida v. Ἀπίων· nisi potius ipse Πλειστονίκου adpellatus fuerit, ut habet A. Gell. L. d. & Achill. Tatium Isagog. in Arat. est etiam ὁ Πλειστονίκου. Sed Πλειστόνικος vindicatur a Tho. de Pinedo ad Steph. Byzant. Brevior. Auctor p. 755. v. Ἀρία. Idem a Suida discipuli vocatur Apollonii Archibii (de quo mox) & Didymi magni alumnus. Caeterum autem ab Apollonio in Lex. MS. v. Θαλασσία. Vid. Rev. Montfauc. Bibl. Coisl. p. 460.

4. Ἀπολλόνιος ὁ τοῦ Ἀρχιβίου.] Suidas: Ἀπολλώνιος, Ἀρχιβίου, ἢ Ἀρχιβίς, per ι. Idem tamen per iota, Ἀρχιβία, in v. Ἀπίων, & v. Μαῖς· ubi similiter Phot. Lex. MS. Alexandrinus pariter Grammaticus erat hic Apollonius, cujus Λέξεις Ὁμηρικαὶ (a Suida & aliis laudatarum) specimen largius edidit Montfaucon. Bibl. Coisl. p. 457. sqq. Ipse MStl operis spngraphum mihi comparavi, & passim cum Hesychio contuli. da quo vid. Praefat. Citantur etiam Apollonii Λέξεις eaedem a Scholiaste Apollonii Rhodii ad Argon. L. 1080. quod enim adfert (quamvis rejiciat) plane legitur in MS. meo laudato. Varios Apollonios recanseit, post Meursium, Vossium, &c. copiose Cl. Fabricius Bibl. Gr. Vol. II. p. 587.—533. qui suis etiam locis de sequentibus, qui in hac Praefat. memorantur, Grammaticis adeundus. Conf. Kuster. ad Suidam.

5. Θέων] Varii fuerunt hoc nomine celebres. Vid. Suid. Noster Alexandrinus ille Sophista fuit, Ἀλλὰ Θέωνα cognominatus; cui Scholia in Arati Phaenomena & Diosemeia tribuenda canset ibid. Kuster. eundemque esse Theonem, quem inter veteres Apollonii Rhodii Enarratores recenset Scholiastes Aristoph. ad Nub. (v. 397.) quod & Tho. de Pinedo ad Steph. Byzant. v. Thes statuit, p. 774.

6. Δίδυμος] Itidem Alexandrinus Grammaticus, Χαλκέντερος dictus, propter adfiduitatem: scripsisse enim ultra 3500. libros ajunt. Vid. Suid. (qui sex ejus nominis memorat) ibidemque Kust. Quod etiam Tragicas voces exposuerit, docet Harpocratio v. Κορωνοῦσσαι, laudans Didymi librum XXVIII^um. Τραγικαὶ λέξεις.

7. Ἕτεροι.] Ed. Hagen. ἕτερα, vel error, vel ex simili (apud Graecos hodiedum) pronuntiatione, unde ι & ει passim permutantur.

πάσας τούτων [8], ἐδὲ εἷς. Διογενιανὸς [9] δέ τις μόνος τούτοις γνησίως ἀνὴρ σπουδαῖος καὶ φιλόμουσος, τά τε παρημμένα βιβλία, καὶ πάσας τὰς σποράδην ἐκ παντὸς [10] κειμένας λέξεις συναγαγὼν, ὁμοῦ πάσας καὶ ἔχοντα φυσικὸν συνθεῖκε· λέγω δὴ τάς τε Ὁμερικὰς, καὶ Κωμικὰς, καὶ Τραγικὰς, τάς τε ἐκ τῶν Λυρικοῖς, καὶ ἐκ τῶν Ῥητορικῶν κειμένας· ἃ μὴν [11] ἀλλὰ καὶ τὰς ἐκ τοῦ Ἰατρικοῦς, τάς τε ἐκ τοῦ Ἱστοριογράφου. συλλέξαν δὲ ὁμοῦ [12] γνήσιον λέξιν [13], ὥστε ἡμᾶς εἰδέναι, παρέλιπε, οὔτε τῶν παλαιῶν· οὔτε τῶν ἐπ' ἐκείνοις γεγενημένων [14]. προσέθηκε δὲ καὶ ἑκάστης λέξεως, τελῶν καὶ ποτάρων φυσικῶν πάσης, ἣν οὗτος διήμαρτήκει [15] ἔχει ἢ εὕρηται, ἢ ἐπιζητεῖ πάσης [16], ὁ τοῦς βιβλίοις ἐντυγχάνειν προσεκτικώτερον. καὶ ἐκ τούτου ὅσας αὖθις τε ἐν παρημίᾳ θήρᾳ, ἐδὲ ταύτας παρέλιπεν· ἐπιγράψας τὰ βιβλία, Περιεγκρίτητας [18]· καὶ ταύτῃ [19] προσηκόντως τῇ ἀληθείᾳ· ἠγνόησε γὰρ, οἶμαι, μὴ μόνον πλουσίους, ἀλλὰ καὶ τοῖς πένησι τῶν ἀνθρώπων χρησιμεύσειν [20] τε καὶ αὐτοῖ διδασκάλων δεήσειν αὐτά, εἰ μόνον φιλοπονήσαιμεν παντὶ τρόπῳ ἀνδρῶν ταῦτα διηθεῖσθαι, καὶ ἐξηρτῆσθαι αὐτῶν γενέσθαι. Ἐπαινῶ μὲν οὖν ἔγωγε τὸν ἄνδρα καὶ τὴν φιλοκαλίας καὶ τὴν σπουδὴν, ὑπ' ἀγνοσιωτάτου θαυμασίας καὶ τοῖς σπουδαίοις τῶν φιλολόγων ἀφελιμωτάτης χορηγίας ἅπασαν παιδίαν προσῆλθε παρέσχεν. ἐκυλίμβου δὲ αὐτὸν [21] μήτε τὰς πλείους τῶν παροιμιῶν ψιλὰς καὶ ἄνευ τῶν ὑποθέσεων [22] τεθεικέναι, μήτε τὰς ἐζητημένας [23] τῶν λέξεων, οὐκ ἐχούσας τι τῶν κεχρημένων ὀνόματος, καὶ τὰς τῶν βιβλίων ἐπιγραφὰς, ἔνθα φέρηται, τάς τε πλουσίους αὐτῶν μὴ παρα-

autem [Scriptorum voces] simul omnes, nemo prorsus. Verum post illos quum exstaret DIOGENIANUS *quidam, vir industrius atque elegans, praedictosque libros & cunctas sparsim apud quoscunque obvias voces conlegisset, omnes[eas] simul ad cujusque elementi ordinem composuit,* Homericas, *inquam, &* Comicas, *&* Tragicas, *quaeque apud* Lyricos, *&* Rhetoricos *exstant; neque has tantum, verum etiam quae apud* Medicos, *&* Historicos: *ut verbo dicam, nullum vocabulum, quantum nobis constat, praetermisit, neque veterum, neque aetatis suae. Initio autem cujusque vocabuli trium quatuorve elementorum ordinem praeposuit, ut eo pacto faciliorem inventionem ordinis haberet, quem requirit, qui [hos] libros versare cupit. Quascunque praeterea* Paroemias *invenire poterat, neque illas praetermisit; titulo libris inscripto,* Περιεγκρίτητες*, idque ea mente, ut puto, quod existimaret, non divitibus solis, sed & pauperibus hominibus inservituros eos, & Praeceptorum vice futuros satis, dum modo* curiose *eos undique* conquisitos *reperire, eorumque compotes fieri possent. Laudo equidem hunc igitur virum & propter elegantiam, & propter industriam, quod fructuosissimum opus, utilissimamque diligentibus literarum amatoribus materiam ad omnem eruditionem suppeditare lubens voluerit. Mallem vero, ut pleraque Proverbia non nude & absque Argumentis posuisset; neque Vocabula quae conquisiverat, Auctorum suorum nominibus destituta, & Titulos librorum, in quibus habentur, quaeque ex iis [vocabulis] varias habent significationes, leviter adtigisset tantum, & obscuras reliquisset: quum oporterit in his quo-*

8. Τόνων] *Iorum*, scil. Scriptorum, sive Glossographorum, quorum praecedit mentio.

9. Διογενιανὸς] Διογενιανὸς scribit Suid. ubi vid. Kust. *Not.* & Fabric. *Bibl. Gr. Vol.* III. p. 283.

10. Παντὸς πάσας] Quaesitum ilyli nikorem Praefationis parenti libenter remittimus: ferri tamen vix possunt πάσας, πάσαι, πάσαις. Fallor, aut ipse scripserat: τά τε παρημμένα βιβλία (Apionis, Apollonii, Theonis & Didymi) καὶ τὰς σποράδην πανταχόθεν πάσας λέξεις συναγαγὼν, ὁμοῦ πάσας καὶ ἔχουσαν φυσικὸν συνθεῖκε. HEMSTERH. Versionem interim ad Textum adcommodavi quantum pote.

11. Οὐ μὴν] Sic Ed. Schrev. Rescripsi Οὐ μοὶ, ut MS. & omnes Edit. priores. Infra: Οὐ μοὶ ἀλλὰ, ὅτι γε μοὶ. Deinde: Οὐ μοὶ, οὐ μόνον.

12. Ὁμοῦ] Orationem laedit. Lege ὁ Δ. Diogenianus. Ambiguum vero, per οὔτε τῶν παλαιῶν, οὔτε τῶν ἐπ' ἐκείνοις γεγενημένων, utrum voluerit, *nullum vocabulum neque antiquorum, neque eorum, quae post aetate fuerint in usu*; an, *nec veterum Grammaticorum, neque illorum, qui sua aetate extiterunt.* HEMSTERH.

13. Λέξιν] Ed. Flor. vitiose λέξεν. Similiter *sub fin. Praef.* Mox pro ὥστε Reiskius legit ὡς γε.

14. Τῶν ἐπ' ἐκείνοις γεγενημένων] I. e. *quae* (dictiones) *tempore quo* vivebat (Diogenianus) *inventae fuerant, & de novo compositae.* MAUSSAC. (*Diff. Crit.* ad *Harpocr.* p. 394.) *Qui sub eo vixerint.* M. MEIBOM. (*ad eram libri sui.*) Conf. *Not.* penult. Sed posterius praetulerim. Ambiguam tamen relinquere malui orationem in versione.

15. Διήμαρτήκει] L. *Διημάρτηκεν.* J. STEPHANIUS. Recte Edit. Ald. & Schrev. *Διημαρτήκει.* At Ed. Hagen. corrupte *Διημαρτήκει*: pro quo Vir doctissimus Tan. *Faber* L. II. *Epist.* 19. *Διημάρτηκεν* scribendum esse monet. Sed praestat sequi fidem Editionis Aldinae, quam *Faber* non videtur inspexisse. KUST. Obscurius expressa penultima litera ᾱ sefellit Cl. Kusterum, qui & accentum motavit. Aperte enim *Faber* scripsit p. 57. *Edit. alter.* qua usor: „ Legend. „ *Διημαρτήκει, faciliorem.* „ Sic etiam Ed. Florentina.

16. Πάσης] Sine dubio reponendum est λέξεως: *ut faciliorem habeat inventionem* VOCIS, *quam requirit.* Sub finem: ἢ λέξιν τινα ζητοῦσι. HEMSTERH.

17. Ἐντυγχάνειν &c.] Compositio parum nitida, nec satis cohaerens. Nisi quid excideric, ejusmodi ferme scripturam res & sensus postulant: ἐντυγχάνειν δὲ τὰ β. Π. ᾗ ταύτῃ (vel ταυτῃ) χρεσιμῶτ., οἶμαι, τῇ ἀληθείᾳ σχεδὸν μὰ μ. πλ. &c. aut: ἐντυγχάνειν δὲ τὰ βιβλία Π. ταυτῃ χρ. τῇ ἀ. ἐγγὺς γάρ, οἶμαι, &c. HEMSTERH.

18. Περιεγκρίτητας.] Vocem compositam Diogenianus excogitavit, ut ipso Titulo *pauperiores* etiam *curiose* omnia *intelligantes* hoc libro cum fructu uti posse indicaret. Quod docent sequentia, τῇ πένησι . . . . τὸ μόνον φιλοπονήσαιμεν &c. *Curiosegeni* reddi forte posset, vel *Curiosegenliegt*, voce ad Graecam conficta: quamvis Latine non aeque commode uno vocabulo exprimi queat.

19. Καὶ ταύτῃ χρ. τ. ἀ.] Secundum *Fabrum l. l.* delendum illud τῇ, & punctum ponendum post ἀληθείᾳ. KUST. Posterius monitum Kusterus adjecit, de quo nihil Faber. Punctum habet Ald. & Flor. sed comma solum Hagen. & Schrev. Illud τῇ retineri possit hoc sensu: *idque ea mente*, vel, *ea quidem mente.*

20. Χρησιμεύσειν] Ed. Flor. . . . . μεῖν. Sed Futurum postulat sequens δεήσειν. Et sic MS.

21. Ἐκύλιμβον δ' αὐτὸν &c.] Quod hoc loco profitetur Hesychius, cuivis facile ostenderit, quantum damni libro ipsius aetas & socordia hominum importarint: quod peculiari Diatriba probabitur. FABER *l. c.*

22. Ψιλὰς καὶ ἄνευ τῶν ὑποθέσεων &c.] Falsum hoc esse apparet ex *Proverbiis* Diogeniani recens editis ab Andrea Schotto, doctissimo viro, in quibus praeter *hypotheses*, multa alia quae ad Proverbiorum explicationem plurimum conferunt, contineri nemo negare ausit. MAUSSAC. *Diss. Crit. ad Harpocrat.* p. 395. Vides igitur, Hesychium posticeri [& maxime in seqq.] *Proverbiorum omnium explicationes per causas, additis Scriptorum nominibus*, & quae opus essent: Quod cum audis, dubitas, opinor, an hodie centesimam tanti operis partem habesmus; neque certe est cur ea de re dubitetur. FAB. *l. d.* Equidem *Fabro* facile concesserim, Lexicon Hesychii, quale hodie habemus, tam splendidis promissis minime respondere: sed quod de *centesima parte* alt, pro rei exaggeratione habendum est. KUST. Conf. *Not.* inf. n. 35. & 44.

23. Ἐζητημένας τῶν λέξ.] Quae sunt ἐζητημένας τῶν λέξεων? Si capias *vocabula*, *quae exquirantur in Lexico*, valde duram dederis interpretationem. Difficultas omnis erit sublata, modo legeris, ἠζητῆσθαι· quo quid magis adpositum ad rem, quae tractatur, comminiscaria? Vox & propria, & corruptae propinqua. HEMSTERH.

* [q. d. *Curiosegeni*]

24. Ποι-

σκέψεμεν [14] καὶ ἀσυφῶς ὠφελιμῶ· δίον δὲ [15] καὶ τὸ παύσας ἐκάστου λέξεως λέξεως ἢ ὠφέλειαν [16] δεῖ ἢ τῆς ἐκτυπώσεως μήκους ὠφελεῖν. ἅπαν σύμπασιν καὶ ἢ παρ' ἡμῶν [17] ἐπιμελείας δεδώκασι καὶ διάμεμ τυγχάνει, πόσης [18] ὁ δευτέρω κειμένης ἢ τῆς φιλοτιμητέον [19] μέμψεως. Οὐ γὰ ἐκάνον, μὴ παρόντος αὐτοῦ, ὅτι τῆς Ἀριστάρχου, καὶ Ἀπίωνος [20], καὶ Ἡλιοδώρου [21] λέξεων ὑπορῆσαι, καὶ τὰ βιβλία παρόδοις Διογενιανοῦ, ὃ φανεῖται καὶ μέγιστον ὑπάρχει πλεονέκτημα [22], ταῦτα δ' αὐτὸς ἰδίᾳ χειρὶ [23] γράφων ἐγὼ, μὴ πόσης ὀφθείη καὶ ἀκριβεστάτης γραφῆς, καὶ γραμματικὴν Ἡρωδιανὴν [24], λέξιν ἢ ὑδιμίαν παρέλαβον κυρίως οὐ αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ πλείστας ὡς θέμι, παρεθέκα. Ἐπειδὴ δὲ γραφὴν ἤρεσα, ἢ ἔνεστιν καὶ ἢ λέξεως θεώρησας, καὶ ἢ φρένων, μὴ τοῦ δικαίου σαφῆ, ταῖς τε παρομίαις ἀπέδωκα τὰς ὑπο-

quoque unius cujuſque diverſi ſenſus declarationem ex Auctorum, quil [ſic] uſurpaverint, mentione praeſtare. Quae omnia ſimul noſtram curam, qua indigebant, quantum potuit etiam nacta ſunt, quacunque eorum, qui ad reprehendendum ſunt proni, cenſione poſthabita. Non enim cunctabor cum fiducia dicere, poſtquam ARISTARCHI, APIONIS & HELIODORI Vocabula mihi comparaſſem, & DIOGENIANI libros adjeciſſem; quod primum & maximum eſt emolumentum; hos autem ipſe egomet propria manu deſcripſiſſem, ſumma recti cura uſus, & ſcripturam accuratiſſima, ſecundum HERODIANUM Grammaticum; nullam me quidem inſuper habuiſſe vocem in iſtis lectam, ſed & plurimas, haud inventas, addidiſſe. Illam vero ſcripturam amplectendam cenſui, cujus & notionem ſenſum continere perfectum, & phraſin probatam ac perſpicuam eſſe deprehendebam.

Pro-

24. Παρεθέμην] Non eſt, *plane praeterire*; ſed *leviter tantum adtingere*, & *quaſi carſim tradere*, neque ſatis explicare.

25. Δίον δὲ &c.] Expellatur δὲ, reliqua praecedentibus adjungantur, hoc ſenſu: *quum oporteret in iſtis (πλεονάσμοις λέξεσι) cujuſque diverſae ſignificationis auctoritatem ab addita illorum, qui fuerant uſi, mentione praeſtare* HEMSTERH.

26 παύσας] Notandum, pro *ἐπίδειξιν*. FAB. *l.* c. Sic apud Euſeb. *Hiſt. Eccl.* VI. 19. p. 281. A. ut ὀφθείη pro *clare & liquido aliquid demonſtrare, & ob oculos ponere*, Ἐπιδείξαι, *Act. Apoſt.* XXIV. 13. ubi vid. Pric. L. Bos, & Obſerv. noſtras. Lexicon MS. *Bibl. Coiſlin.* p. 515. Παρέστησε, ἐπιδείξατο. Heſych. Παρεστὼ. ἐπιδεικνυμένη.

27. Τῶν παρ' ἡμῶν ἐπιμελείας &c.] Ergo iſte liber eſt tantum *epitome* ejus, quem conſcripſit Auctor. SCALIG. *ad eorum Cod. fil.* Perperam *Fabri* nomen ſubjecerat Schrevelius, quam *Scaligeri* totidem ſint verba. Rem ipſam *Faber* monuit paullo ante. Conf. *Scaligerana* p. 109. Hinc *Epitomator*, praeſentis Lexici Heſychiani auctor paſſim dicitur Valeſio, Heinſio, *aliis*. Vid. *Not.* ad v. Ἀγνωεῖν, Ἀκκὰν, Ὁμόιον χυρίῳ &c. *in* primis D. Heinſ. *Lect. Theocrit. c.* 15. *p.* 349. 350. *in* Horat. p. 50. & ſup. ad calcem *Zoſimmiorum*.

